
De collegiis artificum Dionysiacorum

Franz Poland



ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR

DE COLLEGIIS ARTIFICUM DIONYSIACORUM.

SCRIPSIT

FRANCISCUS POLAND.

Disputatio ex programmate gymnasii Wettiniani anni 1895 (no. 547) seorsum expressa.

DRESDAE.
RAMMINGII TYPIS.
1895.

De collegiis artificum Dionysiacorum.

Scripsit

Franciscus Poland.

Quoniam mihi est in animo in unum conferre, quaecumque de variis Graecorum sodaliciis cum ex scriptoribus tum ex titulis depromi possunt, hoc loco, ne spatium mihi concessum excedam neve libellum nimia farragine locorum undique collatorum onerem, in eam partem totius rei inquirere constitui, quae haud semel tractata est. Artificum enim Dionysiacorum collegiis cognoscendis quamquam vel sagacissimi viri docti operam dederunt[1]), tamen cum Albertus Mueller, qui diligenter hanc rem nuper tractavit, haud paucas inscriptiones post ipsius disputationem inventas easque gravissimas adhibere non potuerit, eo magis denuo videtur esse exponendum, quomodo collegia artificum Dionysiacorum orta sint atque viguerint, quo planius est, quanti hae quidem sodalitates sint faciendae. Huc accedit, ut nonnullas res nos eam ob causam paullo accuratius explicare posse nobis videamur, quod in alia quoque sodalicia Graecorum denuo inquisivimus.

Proprium artificum ipsorum est nomen technitarum. Quod quamquam negari non potest histrionibus potissimum inditum esse, si quidem verisimillimum est ex histrionum gregibus collegia illa esse orta, attamen Luedersius (p. 58), quem Muellerus (p. 392 adn. 3) est secutus, rem non satis recte ita definit, ut dicat loco vocabuli *ὑποκριτής* in usum venisse illud *τεχνίτης*. Recte enim Foucartius (p. 6) monuit iam inde ab initio non actores modo, sed etiam poetas et musicos atque omnes quicumque Bacchi festis inservirent, in corpus perpetuum se congregavisse. Et proprium quoddam hominum genus illo nomine appellari verbis illis notissimis Aristotelis, qui primam artificum illorum notionem exhibet, demonstratur, cum evitato actorum nomine proprio dicat (rhetor. 3, 2 p. 1405 a 23): *καὶ ὁ μὲν Διονυσοκόλακας, αὐτοὶ δ' αὑτοὺς τεχνίτας καλοῦσιν· ταῦτα δ' ἄμφω μεταφορά, ἡ μὲν ῥυπαινόντων, ἡ δὲ τοὐναντίον.* Neque igitur miremur in tot quae innotuerint artificum collegiis neque ullum posse inveniri, quod ex histrionibus tantum constet, et iam in titulo (1) antiquissimi quod novimus collegii inter duos legatos poetam afferri tragicum. Quod autem titulis magis magisque docemur[2]) his posterioribus temporibus novarum (*καινῶν*) fabularum nullum genus evanuisse, ita ut etiam satyricae novae primo a. Chr. n. saeculo agerentur[3]), id optime ad sententiam nostram quadrat. Etsi igitur concedamus necesse est histriones, quippe qui satis multi in artificum collegiis fuerint, item ut alios haud raro technitas esse dictos, certe vox *ὑποκριταί* in usu manebat, cum de propria histrionum arte erat dicendum. Quodsi quaerimus, quo consilio collegia illa nomen technitarum sibi assumpserint, ex verbis Aristotelis, quae modo attulimus, elici potest hanc dicendi rationem fuisse sollemniter se iactantium. Quae res confirmatur usu illorum scriptorum, a quibus technitae primum

---

[1]) Tres viri doctissimi totam rem tractaverunt: Otto Lueders, *Die dionys. Künstler*, 1873; Paulus Foucart, De collegiis scenicorum artificum apud Graecos, 1873; Albertus Mueller, *Lehrb. d. griech. Bühnenalterthümer*, 1886, § 26, p. 392 ss. Cf. alios libros haud spernendae doctrinae a Muellero p. 392 adn. 2 allatos, inter quos Aemilii Reisch De musicis Graecorum certaminibus capita quattuor, 1885, maxime laudanda esse videntur.

[2]) Cf. e. gr. nomina poetarum tragicorum a Susemihlio (*Gesch. d. gr. Litt. in d. Alexandrinerzeit* I p. 283) collecta et nominum conspectum, quem dedit Luedersius (p. 101 ss.).

[3]) Cf. MDAI XIX p. 96s.

commemorantur, quandoquidem hac voce is appellari solet, qui rei cuiusdam est peritissimus[4]). Itaque sicuti nostri artifices nulla re magis oblectantur, quam si eis nomen attribuitur „**Kuenstler**", ita artifices quoque Graecorum gloriolae cuiusdam captandae causa isto nomine technitarum quam maxime delectabantur.

Cum vero notio ipsius vocabuli *τεχνῖται* parum esset definita[5]), addi solebat Bacchi nomen, quem deum artifices illi patronum habebant. Itaque apud Aristotelem duobus illis locis, quibus commemorantur (cf. l. l. et probl. 30, 10 p. 956 b 11), *Διονυσιακοὶ τεχνῖται*[6]) audiunt, quem quidem usum dicendi ab aliis scriptoribus prorsus spretum[7]) pauci tituli ita sequuntur, ut nunquam reperiatur, cum ab artificibus ipsis vel cum eis vi quadam sollemni agitur. Exstat enim et in antiquioribus duobus titulis Aetolorum et Delphorum, in quibus ad decreta quaedam priora pro technitis facta revocatur (9 v. 15; 10 v. 11)[8]), et in brevibus nonnullis allocutionibus epistularum, quae imperatorum Romanorum aetate ad technitas missae sunt ([60ª v. 16]; 61). Una autem formula titulorum sollemnis est *οἱ περὶ τὸν*[9]) *Διόνυσον τεχνῖται*, etsi brevior *οἱ τεχνῖται* saepissime occurrit, quam solam Demosthenes praebet uno illo loco, quo de his artificibus verba facit[10]).

Nunc, si accurate titulorum usum examinamus[11]) ita, ut ultimo loco omnes inscriptiones aetatis imperatoriae complectamur, in Atticis, quippe qui etiam his temporibus posterioribus elegantiam sermonis Attici redoleant, raro incidimus in formulam longiorem et molestiorem *οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται* (1 v. 37, 69; 2 fr. a v. 11; 5 v. 6; 7); plerumque enim deesse solet dei commemoratio[12]). Quod vero ad collegium Teium nobilissimum, quod dici solet *ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*, attinet, in formula sollemni ac plena (*τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰ. κ. Ἑ.*) constanter additur dei nomen (11 v. 1, 4, 5, [14], 25, 33; 12 v. 3, 11; 17 v. 1, 5, 11, 21, 33; [18, 14])[13]), cum breviore quodam modo de artificibus dicitur, constanter omittitur (11 v. 8, 16, [29], [31], 40; 12 v. 9, 14; 15; 17 v. [6?], 13)[14]). In inscriptionibus quoque plerisque ad artifices *ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας* spectantibus, quibus paucas alias ipsius Graeciae addere liceat, dei nomen nisi in formula sollemni legi non solet. Quoniam autem hi tituli accuratam istam rationem dicendi non constanter sequuntur, negari non potest hoc ex usu paullo neglegentiore nonnulla depromi posse, quibus ad quaestiones quasdam difficiliores haud mediocriter adiuvemur[15]). Plane constanti fere usu in titulis Aegyptiis, quandoquidem praeter duos locos (33 v. 8, 21) plenam ac sollemnem formulam legimus, nomen dei invenitur (33 v. 1, 14; 34 v. 1, 7), etiamsi regum quoque nomina addi soleant. Eadem de causa in lapidibus insulae Cypri

---

[4]) Demosth. XXII 4: *ἔστι γάρ . . . τεχνίτης τοῦ λέγειν.* Aristot. metaph. I 1 p. 981 a 25: *καὶ σοφωτέρους τοὺς τεχνίτας τῶν ἐμπείρων ὑπολαμβάνομεν* (cf. b 31); de divin. p. s. 1 p. 463 a 6: *εὔλογον . . . καὶ τοῖς μὴ τεχνίταις μέν, σκοπουμένοις δέ τι καὶ φιλοσοφοῦσιν*; de sophist. el. p. 168 b 6: *οἱ τεχνῖται καὶ ὅλως οἱ ἐπιστήμονες.*

[5]) In inscriptionibus quoque technitae ita commemorantur, ut viri docti dubitaverint, essentne artifices Dionysiaci: cf. Luedersium, p. 62 adn., qui nonnullos locos eiusmodi recte explicavit.

[6]) Non video, quo iure Foucartius p. 6 dixerit: „Vocabulum certe ipsum *οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται* apud Aristotelem primum reperire est."

[7]) Cf. Polyb. IV 20, 9: *Διονυσιακοὶ αὐληταί.*

[8]) His numeris titulos maxime adhibitos significavimus, qui quibus locis legantur, in fine libelli enumeratur.

[9]) Nunquam in titulis satis integris articulus deest; num vero paucis locis ([7]; [35]; [70]) a viris doctis suppletis recte omissus sit, id quod minimi est momenti, in medio relinquamus. 17 v. 33 errore typothetae, ut videtur, articulus in Luedersii textu deest, cum in Lebasii apographo inveniatur.

[10]) XIX 192: *εἰς δὲ τὴν θυσίαν ταύτην καὶ τὴν πανήγυριν πάντας τοὺς τεχνίτας συνήγαγεν.*

[11]) Nonnullis in inscriptionibus quid sit legendum dubitari potest: 2 fr. a v. 12, fr. b v. 14, 20; 3.

[12]) 1 v. [9], 14, 16, [26], 34, [74], 80, [88], 93, 94 (cf. num. sing. *ὁ τεχν.* [10], [19], 22, [21], 43, 82, 87); 2 fr. a v. 7, fr. c v. 7, 11; 4; 5 v. 20, 21, 33, 43; 8.

[13]) Hunc enim titulum ad exemplar aliorum restituendum censeo: *τοῦ κοινοῦ τ ῶ[ν [π ε]ρὶ τὸν Διόνυσον] τεχν(ε)ιτῶν τῶν [ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλ η]σπόντο[υ].* Neque igitur propter *E* in apographo Couzii datum in titulo pessime habito Luedersii lectionem non satis explicandam (p. 85 adn. 160) recipiamus aut de titulo restituendo cum Muellero (p. 402 adn. 3) desperemus. — De propria dicendi formula t. 16 v. i. p. 5 adn. 25.

[14]) Notandum est in decreto *τῶν συναγωνιστῶν* (13) technitarum mentionem plane deesse (v. i. p. 10 s).

[15]) Praestat hoc loco accuratius dicendi rationem explanare. Quod ad collegium, quod dicitur *ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας*, attinet, dei nomen additur hisce in formulis plenioribus: *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν. κτλ.*: 26; 30 v. [2], [30], 33 (urbis quidem notio deest, quae alibi addi solet), [39]; 31 v. 1, 18, 21; *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται οἱ ἐξ Ἰ. κ. Ν. κτλ.*: 28 v. 1; *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τ.*: 31 v. 24. Praeterea cf. [*τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶ*]*ν τῶν εἰς Ἰ. κτλ.*: [27]; *τὸ κ. τ. π. τ. Δ. τ. τῶν ἐν Θήβαις*: 25; [*τῇ συνόδῳ τ. π.*] *τ. Δ. τ.*: 24 v. 11. — Abest dei nomen in his formulis longioribus: *τὸ κοινὸ*[*ν τ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν*]*εμέας* [29]; *τὸ κοι*]*νὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰ. κτλ.* 22 v. 12 (cf. [15]); *τῶν ἐν Ἰ. κ. Ν. τεχνιτῶν* 11 v. 1. Alii loci, quibus brevior invenitur dicendi ratio, comparari possunt cum titulis Teiis: *τὸ κοινὸν τῶν τ.* 28 v. 7; *σύνοδος τῶν τ.* 25 v. 6; 28 v. [10], 12; [30 v. 10]; 31 v. 12; *πλῆθος τῶν τ.* [30 v. 9]; *οἱ τεχνῖται*: 23; 27 v. 6; 28 v. 4; 30 v. 10, 12, 17, 28.

Aegypti regibus subiectae ([35]; 36; 37; [38]; 39) et paucis quos habemus Siciliae et Italiae (40; 41; 42) artifices nullo alio modo appellantur nisi *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται.* Aliter res se habet in eis titulis, qui imperatorum Romanorum temporibus compositi sunt. Quandoquidem enim artifices tum imperatoris nomen sibi assumpserunt et ad Bacchi nomen adiunxerunt[16]), varietas quaedam dicendi orta est. Et Bacchi solius nomen, praeterquam quod imperator ipse in epistulis suum nomen dei subicere non solet ([57 v. 22]; [60 v. 10]; [60a]; [60bv. 9]; 61 no. 35 v. [7], no. 36), nisi in decreto singulari quodam Pessinunte orto (47 v. 13) et in titulo Neapolitano ([50]) et Trallensi (70 v. 2), non legitur[17]), sed nomen imperatoris accedit in titulis Atticis ([57 v. 1]; 58 v. 3), Ephesiis (69 v. 36), Aphrodisiensi (64 v. 2), Ancyranis (66 v. 2; 73 v. 2; 74 v. 2), in inscriptione, quae spectat ad collegium Romanum (69 v. 76)[18]). Raro vero in inscriptionibus huius aetatis reperitur formula minus sollemnis *οἱ τεχνῖται.*[19]).

Quamvis igitur satis crebro Bacchi nomen redeat, rarissime cognomen quoddam adicitur. Quod Aegyptiaco in titulo (34 v. 7) epitheton *μέγας* est, id haud scio an quodammodo ex Aegyptiorum pio more originem duxerit. Athenis vero imperatorum demum aetate Baccho nomen *Μελπόμενος*[20]) inditum esse videtur, cum et sella *ἱερέως Δ. Μ. ἐκ τεχνειτῶν* (62) in theatro inveniatur et nomen sacerdotis illius alibi redeat (57 v. 12); illum ipsum autem sacerdotem fuisse summum technitarum neque ulli alii eandem auctoritatem concessam fuisse mihi verisimillimum esse videtur. Plane dubium enim est, quid de sacerdote *Δ. χορείου* statuendum sit, quem Dittenbergerus alibi (60b v. 10) scriptum fuisse censet, cum equidem de Antinoo *χορείῳ* cogitem, cuius nomen in alia quadam sella theatri est (63)[21]).

Quodsi cognovimus artifices titulorum usu frequentissimo dici vel *τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας* vel *τοὺς τεχνίτας*, hoc tamen silentio non praetereundum est in titulis constanter fere addi, cui collegio (*κοινῷ* vel *συνόδῳ*) artifices addicti fuerint, cum scriptores nunquam fere[22]) de certo quodam collegio expressis verbis dicant[23]). Neque tamen inter inscriptiones eae omittendae sunt, quibus negari non potest significationem collegii desiderari[24]). Ut enim non dicamus de brevibus dedicationibus statuarum aut decretorum superscriptionibus aut de ratione quadam sacerdotum nomina afferendi[25]), et Cypriorum certus quidam usus cognosci potest, quippe qui uno loco excepto, ubi de alio quoque quodam *κοινῷ* sermo est (35), *τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας* tantum commemorare solent (36, 37, 38, 39), et pauci tituli imperatorum aetate compositi afferendi sunt (69 v. 37; 73 v. 2)[26]).

---

16) Duabus tantum in inscriptionibus Nemausensibus dei nomen Caesaris plane cessisse videtur. Neque vero credere possum recte illas esse suppletas. Quoniam enim Kaibelius rectissime cognovit in tit. 52 inde a v. 7 plura deesse quam alii opinati erant, quid impedit, quominus etiam primos versus Graecos longiores fuisse censeamus, ita ut omnes difficultates tollantur, quibus Kaibelii restitutionem laborare plus semel videbimus? Legendum igitur censeo (v. 5 ss.) *ψήφισμα τῆς ἱερᾶς θυμε[λικ]ῆς Ἀδριανῆς συνόδου τῶν [ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ] αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραιανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν νέον Διόν[υσον τεχνειτῶν ἱερονεικῶν στεφανειτῶν καὶ τῶν τούτων] συναγωνιστῶν.* Etiam in altero titulo (53) aliter restituendo (v. i.) dei nomen addi posse, cum de versuum longitudine nihil constet, apparet.

17) Bacchi enim Bresaei collegium non esse proprium technitarum, sed mystarum apparet; v. i.

18) In titulo quoque Thyatirensi (46) ad exemplum aliorum et dei et imperatoris nomen una cum technitarum commemoratione supplendum esse apparet.

19) 62 et 63: *ἱερέως . . . ἐκ τεχνειτῶν*; 69 v. 17 s.: *τὸ . . . τέμενος τῶν [ἀπὸ τῆς οἰκουμένης τεχνειτῶν*; ibd. v. 21: *οἱ ἐπὶ Ῥώμης τεχνεῖται.* Inscriptiones 75 v. 8 et 80 (no. 22) nimis lacerae sunt, quam ut certum iudicium fieri possit. Cf. CJA III 476: *διὰ πρεσ[βευτοῦ καὶ τεχνείτου.*

20) Cf. *Δ. Μουσαγέτην* (MDAJ III p. 161), *ἐναγώνιον* (MDAJ XIX p. 37).

21) De Baccho, qui dicitur *καθηγεμών*, v. i. p. 10, de Bresaeo p. 22.

22) Cf. Strab. XIV 1, 29 p. 643 C, de quo loco v. i. p. 10.

23) Itaque de collegiis ipsis ex scriptoribus nihil fere elici potest. *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται* commemorantur: Polyb. 16, 21, 8; Plut. Cleom. 12, Ant. 56, 57, Brut. 21, Arat. 53, Luc. 29, Sull. 26; Athen. V 198 c, 212 d, IX 407 b; Aelian. de anim. XI 19; Gellius N. A. XX, 4. — De voce *τεχνῖται* nude apud scriptores posita cf. Luedersium (p. 61 adn. 111), qui accuratissime quomodo alia quoque liberiore dicendi ratione scriptores artifices significaverint exponit, velut *θυμελικοὺς ἀνθρώπους, τοὺς περὶ τὴν σκηνὴν* al.

24) In titulis quoque vox *τεχνῖται* nonnunquam ita occurrit, ut non de certo quodam collegio intellegenda sit; cf. CJG 1845, Dittenberger, Sylloge 388 v. 73, 97, titulos Deliacos BCH II p. 570 ss.; VI p. 75; XIV p. 445 ss.

25) 4: *οἱ τεχνῖται Ἀρίβαζον Σελεύκου Πειραιέα*; 11: *Τῶν ἐν Ἰσθμῷ καὶ Νεμέᾳ τεχνιτῶν.* — 23: *ἐπὶ ἱερέως τῶν Μουσῶν . . . ἀπὸ δὲ τεχνιτῶν*; 62 et 63: *ἱερέως . . . ἐκ τεχνειτῶν.* Cf. 16: *οἱ π. τ. Δ. τ. . . . ἱερέα τῆς συνόδου*; 70: *οἱ π. τ. Δ. . . . τὸν . . . τῆς σ. ἀρχιερέ[α.* In titulis agonisticis Delphis repertis (*Wescher-Foucart, Inscript. de Delphes* no. 3—6 = Lueders no. 112) nihil nisi *ἱερέως δὲ Φιλωνίδου* legitur. Cf. CJA III 476: *διὰ πρεσβευτοῦ καὶ τεχνείτου . . . ἐπὶ ἱερέως . . .* Praeterea v. 45: *οἱ περὶ τὸν Βρεισέα Δ. τεχνεῖτ]αι.*

26) Cf. etiam titulos, ubi variandi sermonis causa singulis tantum locis, quamvis sollemniter de artificibus agatur, brevius illud *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται* inveniatur: 28 v. 1; [30 v. 29]; 33 v. 1; 31 v. 1. De formula *οἱ . . . τεχνῖται καὶ οἱ τὴν . . . σύνοδον νέμοντες* (31 v. 1; 74) v. i.

In plerisque vero inscriptionibus quale fuerit technitarum collegium vocabulis *κοινόν* et *σύνοδος* significatur; nam alia nomina, de quibus cogitari possit[27], de his collegiis adhiberi non solent.

Quoniam igitur videmus certo quodam modo collegia illa appellari, iam quaerendum est, num, id quod viri docti plerique censuerunt, duo illa nomina, quae invenimus, plane promiscue adhibita sint. Cum vero illorum virorum, qui omnino de collegiis Graecorum scripserunt, Foucartius (l. l. et in libro, qui inscr. „***des associations relig. chez les Grecs***“, 1873) in usum vocabulorum illorum non inquisiverit, Luedersius (p. 12) sententiam plane perversam[28]) protulerit, fieri non potest, quin ego quoque hanc rem quam brevissime attingam. Iam vocabulo *κοινῷ* notionem quam maxime universam subesse per se apparet. Itaque offensioni non est etiam certa quaedam collegia, quae aliis locis propriis vocibus appellentur, velut thiasotarum eranistarum orgeonum alia eadem saepissime dici *κοινά*[29]). Sequitur, ut sodalicium, quod nullo *alio* vocabulo nisi hoc definiatur, liberiorem quandam societatem fuisse existimemus, in quam certius nomen non quadret, ita ut etiam de collegiis hominum usurpetur, qui ad aliquam rem perficiendam in breve tantum tempus se coniunxerint[30]). Denique suspicari licet *κοινόν* verbum fuisse aptissimum, quo maius collegium significaretur vel corpus, quod ex compluribus societatibus constaret, id quod nos dicimus „***Verband***“. Quod vero Luedersius l. l. contendit vocabulum synodi rectius maiori sodalitati attribui quam alterum illud, id quomodo cum eo conveniat, quod vel maxima illa populorum corpora, velut *Αἰτωλῶν Ἀχαιῶν Θετταλῶν* alia audiunt *κοινά*, non video.

Cum igitur usus vocabuli *κοινόν* sit frequentissimus, iam inde, quod *σύνοδος* multo rarius nobis occurrit, concludere licet notionem hanc certius definitam fuisse. Quamquam enim negari nequit huius vocabuli vim per se non multum differre ab illius vi, tamen notandum est raro sodalicio cuidam, quod *σύνοδος* appelletur, alia quoque illa nomina indi, quae modo enumeravimus. Raro igitur eranistarum et orgeonum collegia *σύνοδοι* dicuntur. *θίασος* autem et *σύνοδος* nisi de collegiis hominum non vere Graecorum promiscue usurpari non solent[31]).

Neque vero solum a ceteris vocabulis similibus discerni *σύνοδος* solet, sed ne nomina quidem *κοινόν* et *σύνοδος* ipsa inter se simillima saepius confunduntur. Ut enim locos satis incertos[32]) omittamus, nisi in peregrinorum[33]) decretis promiscue usurpata non inveniuntur.

Quoniam vidimus *συνόδους* diversas fuisse et a collegiis thiasotarum eranistarum orgeonum et ab illis, quae *κοινά* dicerentur, quaerendum est, quibus in rebus discrimina illa maxime sint cognoscenda. Ac primum quidem apparet, etsi *σύνοδος* et *κοινόν* vocabula inter se simillima sint itaque utroque idem collegium per se significari possit, tamen synodum sodalicium fuisse aliquanto certioribus legibus circumscriptum. Neque minus distabant a thiasotis et orgeonibus, ut eranistarum genus etiam magis definitum plane omittam (cf. Foucartium, ***Des assoc. relig.*** p. 2 ss.); hos cum deis

---

[27]) Thiasi nomen nunquam in usu fuisse de artificum collegiis eo magis premendum est, et quod Graeci qui nunc sunt voce thiasi collegia histrionum appellant (*Grasberger, Erziehung und Unterr. im klass. Altert.* III p. 368), et quod thiasi in Bacchi honorem quam maxime constituebantur. Nomina vero illorum varia erant, velut *τὸ κοινὸν τὸ Διονυσιαστᾶν* (Lueders 55); *οἱ Διονυσιασταί* (Lueders 58); *τὸ Βακχεῖον* (MDAJXIX p. 249 ss.) etc. Cf. *Rohde, Psyche* p. 307 adn. 1.

[28]) „*Der gemeinschaftliche Name aller . . . Genossenschaften ist κοινόν, grössere heissen namentlich σύνοδοι, so die Gesellschaften der Kaufleute und dionysischen Künstler, oder auch πλῆθος.*“

[29]) Nonnulla exempla imprimis ex Luedersii et Foucartii libris modo laudatis afferam. *κοινὸν τῶν ὀργεώνων*: Lueders 16, 17, 18; BCHVII p. 69 s. — *κ. τῶν θιασωτῶν*: Lueders 22, 31; Foucart 39; AGJII 353; 377 v. 60; CJAII 986 b; *Ἀθήναιον* VIII p. 235; idem collegium et *κ.* et *θ.* audit: AEMX p. 238; BCHIII p. 510 ss. — *κ. τῶν ἐρανιστῶν*: Lueders 3, 6, 7, 47; BCHIV p. 138, X p. 250, XIII p. 363; cf. inscriptiones quoque plurimas Atticas *Δελτ. ἀρχ.* 1890 p. 58 ss; promiscue usurpantur *κ.* et *ἔ.*: Lueders 29, Foucart 46, BCHV p. 331 s. etc.

[30]) Itaque hac voce significantur e. gr. homines cognati, copiae quaedam militum, ii qui participes sunt certi cuiusdam negotii sacri, alii. Cf. CJGII 2148 passim: *τὸ κοινὸν τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν*; JHSIX p. 225 no. 2: *τὸ κ. τῶν ἐν νήσῳ ταςσομένων Κιλίκων* (cf. XII p. 195 no. 52); Rh. Mus. VII p. 519 no. 11: *τὸ κ. τῶν ὑπ' αὐτοῦ ταςσομένων Κρητῶν*; MDAJXVIII p. 385 v. 18: *τὸ ... Δαμαιαστᾶν τῶν συνστρατευσαμένων κοινόν*; Lueders 45: *τὸ κ. τῶν συμ[π]ορευομένων [π]αρ[ὰ Δία] Ὑέτιον*; MDAJXVIII p. 385 v. 4: *ἁλιαστᾶν τὸ κ.* etc.

[31]) Cf. sodalicia urbium Bosporanarum (Latychew, Inscr. antiquae orae septentr. ponti Eux. II p. 58, 246) et decretum mercatorum Tyriorum maxime verbosum (Foucart 43), in quo et *θιασῖται* et *κοινόν* et *σύνοδος* legitur. Neque vero negari potest et in collegii vere Attici decreto (MDAJIX p. 288 ss.) *σύνοδον* et orgeonas promiscue dici.

[32]) Cf. Lueders 73; CJAIII 23. Lebas III 612 fortasse legendum est: *ἐ]τείμησαν οἱ ἀθλ]ηταὶ τῆς π. τ.* [*Ἡρακλεῖ*] *συνόδου*. De technitis non cogitandum videtur.

[33]) Cf. collegia peregrinorum Deli condita, velut Aegyptiorum (BCHXIII p. 210) alia.

colendis quam maxime operam navavisse manifestum sit, synodos, quamvis dei minime neglegantur, id quod ne in ullo quidem collegio observari potest, ad res magis profanas curandas constitutas esse videmus. Itaque nomen synodi societatibus quibusdam alibi certioribus quoque vocibus appellatis dabatur, quas homines eiusdem condicionis atque ordinis inire solebant, velut *γέροντες* (Lebas II 341 b; MDAJIV p. 145), *νέοι* (Latychew, Inscr. ant. orae septentr. p. Eux. II 39), opifices[34]), imprimis mercatores et homines similis ordinis (CJAII 475; BCHXI p. 249 ss.), venatores (Lueders 34), alii[35]). Quibus collegiis artificum sodalicia addenda esse etiamsi Foucartius recte sensit (p. 29), tamen causam, qua commotus ad hanc sententiam accessit, probare non possumus. Neque enim quia thiasi aliaeque sodalitates ad externos deos[36]) colendos instituta sunt, sed quia deorum cultus proprium eorum est negotium, plane distinguenda sunt a synodis.

Quibus expositis non sine aliquo fructu me esse percensurum confido, quibus locis artificum collegia audiant *κοινά*, quibus *σύνοδοι*.

Ut ab Atticis lapidibus initium faciamus, in eodem titulo utrumque vocabulum non invenitur nisi in diversis fragmentis inscriptionis cuiusdam satis lacerae (2)[37]). Hoc eo magis premendum est, quod in nonnullis titulis (1; 5) technitae plus decies commemorantur. Deinde cognoscere licet vel in antiquissima mentione omnium technitarum (1), quamvis nomen artificum toties perscriptum sit, *κοινόν* nondum legi, sed in brevibus tantum et paucis subscriptionibus et decretorum et statuarum reperiri[38]).

Prorsus aliter res se habet de decretis, quae referenda sunt ad collegium, quod dicebatur *ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*. Neque enim negari potest in illis titulis duo illa vocabula quodammodo promiscue usurpari. Attamen accuratius in rem inquirenti apparebit in decernendi formula plena atque sollemni, cum omnia aut nonnulla collegii epitheta accurate enumerantur, velut *οἱ περὶ τὸν Δ. τεχνῖται* (v. s.), nomen *κοινόν* solum adhiberi, vocem *σύνοδος* vero item ut paucis locis *πλῆθος* iis tantum locis usurpari, quibus variandi sermonis causa brevior quaedam dicendi ratio admittatur[39])

Difficillima est quaestio de ceteris ipsius Graeciae inscriptionibus, quae pleraeque sunt magni collegii Isthmiaci. Quamquam enim ibi quoque *τὸ κοινόν* in formulis plenioribus adhibetur, quoniam uno in titulo (30) duo illa vocabula ita inter se coniunguntur, ut inde aliquid certi de propria eorum vi concludendum videatur, de hoc discrimine infra dicendum erit, cum de societate illa disseremus, hic locos afferre satis habeo[40]).

---

[34]) Cf. Oehler, Eranos Vindob., 1893, p. 282 (conspectum vocabulorum, quibus opificum societates significantur v. p. 279)

[35]) Negari quidem non potest etiam *συνόδους* inveniri, quae, quantum ex ipsorum nomine concludendum videtur, deis colendis praecipue destinatae sint; tenendum tamen est deos illos fuisse plerumque peregrinos; cf. *σ. τῶν μελανηφόρων* (BdJ 1871 p. 105), *σ. Ὀσειρ[ι]α[σ]τ[ᾶ]ν* (*Paton-Hicks, Inscr. of Cos*, 1891, no: 51). V. i. de synodo mystarum.

[36]) Sententiam enim Foucartii, qui opinatur constanter deos externos non Graecos in collegiis illis cultos esse summo iure refutavit Lipsius vir doctissimus (*Bursian, Jahresber.* 1873, 2, p. 1391).

[37]) Quod Luedersius tit. 6 voluerat legi *Διόνυσον καὶ τὸ κ[οινόν* id recte et ipsum addubitasse et Koehlerum in CJA reiecisse existimamus.

[38]) 2 fr. c.: *τὸ κ. τ[ῶ]ν τεχνιτῶν τῶν ἐν Ἀ[θήναι]ς*; 7: [*τὸ κ]οινὸν τῶν π. Διόνυ[σον τ.*; 8: *τὸ κ. τῶν τ.* Praeterea *κοινόν* non legitur nisi 2 fr. b v. 9: *κατ[αλύσει μὲν τοῦ κοινοῦ*. — *σύνοδος*: 3 v. 3; 5 v. 16, 28, 33, 38, 41, 44; 6 v. 9 (fortasse aliquid additum erat), 10 (in subscriptione). *τῆς παρ' ὑμῖν σ.* 1 v. 43; *τῆς ἐν Ἀθήναις σ.* 1 v. 83. *ἡ σ. τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν* 2 fr. a. v. 11; 5 v. 6. — CJAII 352 (Lueders 80 et p. 70) mihi non de artificum synodo cogitandum esse videtur. Dubito autem an in technitarum decreto Thebis reperto CJGS 2411 v. 17 legendum sit *οὖν ἡ σύ[νοδος]*.

[39]) *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰ. κ. Ἑ. καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον*: 11 v. 1, 5; 12 v. 3; 17 v. 1 (v. i. p. 10); [18](v. s. p. 4 adn. 13). *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν*: 11 v. 1, [11], 25, 33; 12 v. 11; 17 v. 5, 11, 21, 33. *τὸ κ. τῶν συναγωνιστῶν*, de quo mox videbimus, nusquam altero illo vocabulo significatur (13 v. 1, 3, 14, 17, 28; *οἱ συναγωνισταί* 1, 8, 11, 16, 20, 24). — *ἡ σύνοδος*: 11 v. 11, [21], 31; 12 v. 8; 16 v. 3 (v. s. p. 5 adn. 25); *ἡ σ. τῶν τεχνιτῶν*: [11 v 31] (Boeckhius suppleverat *τοῦ κ.*), 40; *μετεχόντων τῆς [ἡμετ]έρ[ας συνόδου]*: 17 v. 13 (v. s. p. 8 adn. 44). — *τὸ πλῆθος*: 17 v. 20, 24; *τὸ πλ. τ. τεχνιτῶν*: 11 v. 8; *τὸ πλ. ἡμῶν*: 17 v. 26.

[40]) *τὸ κ. τῶν (π. τ. Δ) τεχν. τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν.*: 29; 30 v. 33; additur *τῆς ἐν Ἄργει συνόδου*: 30 v. [2], [39]; additur *συντελούντων κτλ.*: 26; 31 v. 1, 18, 21. *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχν.* [31 v. 24]. *τὸ κ. τῶν τεχνιτᾶν*: 28 v. 7. *τὸ κ.* 31 v. 20, [23]. *ἀπὸ κοινοῦ*: 32. — *τὸ κ. τῶν τεχν. τῶν εἰς Ἰσθμὸν κτλ.* (v. i.): 22 v. 12, [15?]; — *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχν. τῶν ἐν Θήβαις*: 25. — *τὸ κ. τῶν εἰς Ἰσθμὸν . . . Πιερίαν συντελούν]των* (v. i.): [27]. — *σύνοδος* in decretis Isthmiaci collegii reperitur his: 28 v. 14; 30 v. 5, [6], 7, 8, 11, 14, 15, 20, 23, [24], 31, 34, 42, [42]; 31 v. 9 (*τῆς ἐ[γ Χ]α[λκίδι σ.]*), 13; cf. *τῆς αὐτῆς σ*: 32 v. 7. *σ. τῶν τεχν.* 28 v. 10, 12; [30 v. 19] (si modo Foucartius *τ. τεχν.* recte adiunxit); 31 v, 12. — Cf. 25 v. 6. — Num igitur Dittenbergerus 21 v. 11 recte suppleverit *τῇ συνόδῳ τ. π.] τ. Δ. τεχν.*, valde dubitari potest. De voce una cum altera coniuncta in decreto Argivo(30 v. 3, 30, 40) v. i. — *πλῆ[θος τῶν τεχν.* 30 v. 9.

Aegypti et Cypri technitas cum formulam breviorem (*οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται*) adamasse viderimus, duobus locis inscriptionis Aegyptiacae et uno Cypriae *κοινόν* scriptum videmus[41]; alio vero loco tituli Aegyptiaci (34 v. 1) vox *σύνοδος* cum altera illa simili modo atque in Isthmiaci collegii titulo coniungi potest, qua de re item infra videbimus.

Siciliae et Italiae collegiorum in inscriptionibus paucissimis, Syracusanis et Rhegina, nihil legitur nisi *κοινόν*[42].

Denique in lapidibus plurimis imperatorum temporibus compositis *κοινόν* etiam ex plena decernendi formula plane evanuisse videtur. Neque tamen praetereundum videtur, hoc duobus locis (69v.15; 71v.11) certo quodam modo dici, de quo infra videbimus, cum plus quinquagies legatur *σύνοδος*[43].

Quaerentibus autem nobis, num in artificum quoque decretis idem discrimen inter *κοινόν* et *σύνοδον* intercedat, quod in universum statuendum esse censuimus, nonnulli verborum ambitus, quibus utrumque nonnumquam commemoratur, non neglegendi esse videntur. Ac primum quidem synodi tantum cuiusdam, non *κοινοῦ* artifices participes fuisse expressis verbis dicuntur[44]. Deinde afferendum videtur de synodi sociis proprium quoddam vocabulum inveniri *συνοδεῖται* in titulis imperatorum quidem temporibus scriptis (57 v. 19; 71 v. 10). Maxime vero inter se diversae videntur dicendi rationes, cum respeximus locorum additamenta. *Κοινόν* enim ita accuratius definiri solet, ut addatur terrae vel regionis cuiusdam aut ludorum nomen. Ut igitur formulas tantum usitatissimas hoc loco afferamus, habemus: *τὸ κοινὸν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου, τὸ κ. τῶν ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας, τὸ κοινὸν τῶν κατὰ Κύπρον π. τ. Δ. τεχνιτῶν* (35), quod idem (37) *οἱ κατὰ Κύπρον π. τ. Δ. τεχνῖται* dicitur. Urbis vero nomen nisi duabus in inscriptionibus cum vocabulo *κοινόν* non coniungitur, ubi exstant (2 fr. c. v. 11) *τὸ κ. τ[ῶ]ν τεχν. τῶν ἐν Ἀ[θήναι]ς* et (24) *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχν. τῶν ἐν Θήβαις*, cum ad vocem *σύνοδος* vel formulam magis indefinitam *οἱ* (*π. τ. Δ*) *τεχνῖται* tam saepe addatur quam pronomen possessivum simili ratione usurpatum. Itaque scriptum videmus in titulis Atticis (1 v. 83) *τὸν μετέχον]τα τῆς ἐν Ἀθήναις συνόδου*, (1 v. 43) *τῶν μετεχ[όντων τῆς παρ' ἡ]μῖν σ.*; saepissime *οἱ ἐν Ἀθ. τεχνῖται* vel *οἱ τ. οἱ ἐν Ἀθ.* (1 v. [9], [26], 69, 74, 80, 89, 93, 94; cf. *οἱ παρ' ἡμῖν τ.* 2 fr. c v. 7). Cum autem ex Teiae synodi decretis *τὴν τοῦ πλήθους ἡμῶν σπουδήν* (17 v. 26) quodammodo comparare possimus, in Isthmiacae titulis non solum *τῆς ἐ[γ Χ]α[λκίδι συνόδου]* (31 v. 9) reperimus, sed cum *τῆς ἐν Ἄργει συνόδου* (30 v. 3,40) eodem modo ad *κοινόν* commemoratum adiungatur atque locorum nomina ex participio *συντελοῦντες* pendentia, velut *σ. δὲ ἐγ Χαλκίδι* (31 v. 4, 19, 22), *ἐν Ὀποῦντι* (28 v. 2), *ἐν Θήβαις* (26), illa quoque infra comparanda erunt. Imperatorum quoque temporibus in titulis urbium nomina iuxta verbum *σύνοδος* ponuntur[45].

Quoniam igitur cognovimus ex dicendi ratione *σύνοδον* artioribus loci et sodalicii finibus circumscriptam fuisse quam *κοινόν*, nonne verisimile est in artificum decretis ut in aliis hoc haud raro idem fere fuisse atque nostrum „***Verband***“, illam propriam societatem?

Sed haec hactenus. Nunc singula collegia breviter pertractemus.

Quaerentibus nobis, apud quosnam et quando artificum sodalicia orta sint, primo loco afferendum esse apparet Atticum, de quo cum Sauppius vir clarissimus (Ind. schol. Gotting. 1876) post Luedersium et Foucartium exposuerit, paucis absolvere licet. Ac primum quidem quaerendum est de Musarum

---

41) 33 v. 11: *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν*; ibd. v. 23: *τὸ κ.* — 35 v. 10: *τὸ κοι[νὸν τῶν κατὰ] Κύπρον γραμματ[έων καὶ τ. π. τ. Δ.] τεχνιτ[ῶ]ν* (cf. Foucartium in Lebasii III p. 641)

42) *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχν.*: [10 v. 1,3]; 11. — *τὸ κ. τ. π. τ. Δ. τεχν. καὶ προξένων*: 42.

43) Cum de nominibus illorum collegiorum infra accuratius exponendum sit, hic locos tantum afferre liceat: 16; 17 v. 10, 12; 18 v. 12; 19 v. 8; 50 v. 1; 51; 52 fr. ab v. 5; [fr. c. v. 2]; [53]; [51]; 55 v. 5; 56 v. 6, 8; JGSJ 2500 v. 3, [5]; [2501]; 2502; 57 v. [1], 22, [25]; 58; 59 v. 9; 61 v. 3, [1], [6]; 64 v. 1, 2, [8], 9; 65 v. 9; 66 v. 1; 67 v. [1?], 11; 68 v. 7; 69 v. 13, 30, 68, 75; 70 v. 5; 71 v. 22; 72 v. 18; 74 v. 8; [75 v. 10?]; 76 v. 8; 77; 78, v. 26; 79 v. 8; [80 no. 21]; synhodos Latine commemoratur: 52 fr. ab v. 4; fr. c. v. 5. (Cf. CJL XII 3183 v. 11: archiereus synhodi; 3132: [xyst]archus synodi [sacrae]). Num in paucis ex titulis allatis et quibusdam aliis de athletica forte synodo sit cogitandum, v. i. De singulari quadam mystarum synodo v. i. — Id quod Boeckhius CJG 2396 legi voluerat (cf. Lueders 97): *ἡ νέου [Διονύσου σύνοδος]*, minime aptum videtur. Quamquam inscriptio certo modo restitui nequit, de *νέων* collegio cogitandum est.

44) In titulo Attico habemus verbum *μετέχειν*: 1 v. 43 s.: *παρὰ τῶν τεχν. τῶν μετεχ[όντων τῆς παρ' ἡ]μῖν συνόδου*; 1 v. 83 s.: *ἄγειν τὸν τεχ[νί]την τὸν μετέχοντα τῆς ἐν Ἀθήναις σ.* Haud scio an in inscriptione societatis Ionicae (17 v. 13) scribendum sit: *τῶν ἐγγεγρα[μμέ]νων τεχνιτῶν καὶ μετεχόντων τῆς [ἡμετ]έρ[ας συνόδου] φιλίας ὑπαρχούσης ἡμῖν κτλ* praesertim cum, quid *μετέχοντες* nullo genetivo addito sibi velit, non videam. Luedersii (p. 140) vero hariolationibus abstinendum existimo (cf. Muellerum, p. 396 adn. 1). — Verbum *νέμειν* legitur in inscriptione Aegyptiaca (31: *καὶ τοῖς τὴν σύνοδον νέμουσιν*) et in Ancyrana imperatorum aetate composita (74 v 7: *καὶ τῶν νεμόντων τὴν ἱερὰν θυμελικὴν σύνοδον*).

45) V. i.; cf. 71 v. 9: *τῶν ἡμετέρων συνοδιτῶ[ν]*.

illo thiaso a Sophocle instituto [46]), quam rem saepissime a viris doctis tractatam esse constat. Quoniam vero et Sommerbrodtius (*Hermes* X p. 123 ss.) Schoemannum secutus et Sauppius (l. l. p. 5) aliorum sententias recte reiecisse mihi videntur, pauca addam. Quodsi consideremus vim vocabuli thiasi, id quod supra demonstravimus, longe alienam esse a technitarum sodalicio, loco ex Sophoclis vita allato de eiusmodi collegio dici vix opinemur. Quod vero ipse Sommerbrodtius ad eundem fere finem pervenit atque ei, quos refutat, ita ut thiasum Sophocleum cum collegiis Dionysiacis comparet, non magis probare possum, quam sententiam Sauppii, quem ad Musarum cultum ab artificibus Dionysiacis posteriore aetate factum haud satis apte revocasse existimo. Etsi igitur Sophoclis quoque Musarum thiasum, i. e. sodalicium Musis colendis ex histrionibus potissimum constitisse ne ego quidem nego, tamen non proprium technitarum collegium intellegendum esse inde apparet, quod illo loco allato Ister, si modo est Ister, proprio nomine collegii artificum, quod ipsius aetate in usu erat, non utitur, cum alii scriptores rationem illam dicendi posteriorum temporum in antiquiora transferre soleant [47]).

Quid? quod Demosthenis et Aristotelis aetate collegia illa floruisse inter viros doctos constat? Iam cum neque Aristotelem neque Demosthenem in technitis appellandis propria dicendi ratione (*οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται*) usum esse viderimus, cum neuter de proprio quodam artificum sodalicio verba faciat, his ipsis temporibus, i. e. altera demum parte quarti a. Chr. n. saeculi certa quaedam collegia condita esse existimaverim. Id saltem nemo Sauppio (p. 3) concesserit Aristotelis illos locos ita esse dictos, ut non appellatio noviter inventa, sed diu usurpata atque iam communi usu recepta fuisse videatur [48]). Neque vero id Sauppium sensurum fuisse puto, si tempus decreti illius antiquissimi, quo collegii artificum Attici prima mentio fit (1), rectius definire potuisset. Nunc demum, cum lapide melius lecto decretum illud paullo post annum a. Chr. n. 279 compositum esse satis constet [49]), ob id ipsum collegiorum Dionysiacorum origines in medium saeculum quartum transferre non cogimur. Cum animo autem meo reputans, quibus de causis factum sit, ut nova illa collegia exsisterent, quae cum a propriis civitatum legibus quam maxime essent libera, a Graecorum, inprimis Atheniensium, moribus abhorrerent, facere non possum, quin illa non aucta tantum, sed creata esse censeam auctore illo homine, qui totum orbem terrarum transformavit. Videlicet Alexandro Magno magnos artificum greges opus fuisse, illum primum esse dictum *Διόνυσον* inter omnes constat [50]). Aristotelis igitur aetate technitis privilegia quaedam ab omnibus civitatibus (cf. 1 v. 13) iam pridem concessa fuisse minime est verisimile. Quae si facta essent, dubito an ille loco supra (p 3) allato cum tali contemptu de ipso technitarum nomine dicturus non fuerit. Inde vero ab Alexandri temporibus reges imprimis artificum collegia auxisse ex titulis magis magisque intellegimus.

Priore igitur saeculi tertii parte collegio Attico privilegia (*ἀσυλία, ἀσφάλεια, ἀτέλεια*) ab Amphictionibus decernuntur (1), paucis vero annis post medium saeculum alterum denuo ita confirmantur, ut verba addantur magnopere notanda: *ἐὰν μή τι Ῥωμαίοις ὑπεναντίον ᾖ*. Quodsi consideramus, quam diversa ratione duobus illis titulis de artificum privilegiis exponatur, quomodo in altero tantum ad privilegia prius concessa expressis verbis revocetur, facere non possum, quin Sauppii sententiam (p. 7 s.) improbem [51]), qui etiam priore illo decreto privilegia non constitui, sed renovari contendat. Haec res alicuius momenti est. Etiamsi enim *ἀσυλία* technitis prioris decreti temporibus *ὑπὸ πάντων τῶν Ἑλλήνων* (v. 13) iam data esset, tamen verisimillimum videtur id non multis annis ante factum esse, ab Amphictionibus vero tum demum privilegia illa sollemni modo in certam formam redacta, quod qua de causa acciderit infra videbimus [52]).

[46]) Vit. Soph. p. 128, 33 W: *φησὶ δὲ Ἴστρος . . . ταῖς . . Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν.* — De variis sententiis v. Sybelium (*Hermes* IX p. 248 s.) et Muellerum (p. 391 adn. 4).

[47]) Cf. Athen. IX p. 407 b de Alcibiadis aetate.

[48]) Quod Demosthenes de choreutis a stipendiis liberis dicit, id miror quomodo a viris doctis (cf. Lollingium, MDAJIII p. 137) cum legibus de technitis latis comparari possit; neque enim ibi de his sermo est, sed de choreutis, i. e. de civibus quibusdam Atheniensibus, qui usu non lege excepti erant. Tantum enim afuit ut choreuta certis legibus vetaretur stipendia facere, ut illos quoque ad militiam cogi videamus.

[49]) Cf. Koehlerum ad CJAII 551 et eum, qui nuper docte de Delphorum chronologia egit, Pomtowium (*Fleckeis. Jahrb.* 1891 p. 580). Quo iure Muellerus p. 391 adn. 3 etiamnunc Sauppium sit secutus, non video.

[50]) Optime post Foucartium (p. 6) et Luedersium (p. 59 s.) Alexandri Magni Reischius (p. 73) rationem habuit. Alexander *Διόνυσος* ab Atheniensibus appellatur: L. Diog. VI 63.

[51]) v. 74 s: *ἀνανεώσ[ασθαι] τὴν δεδομέν[ην τοῖς τεχνί]ταις τοῖς ἐν Ἀθήναις πρότερον ὑπὸ [τῶν Ἀ]μφικτιόνω[ν ἀσυλίαν κτλ.*; v. 77: *συντηρῆσα[ι τὰ ψηφισθέν]τα ἑαυτοῖς φιλάνθρωπα*; v. 78 s: *[τὰ] πρότερον δεδογμένα βεβαιοῦντες.*

[52]) Sauppii sententiam non sine aliqua dubitatione Koehlerus est secutus, qui in CJAII p. 328 de asylia „concessa sive confirmata" loquitur. Melius Lollingius (MDAJIII p. 136) rem definivit: „*Durch die von dem*

Hi tituli cum nos, qua ratione technitae ex Amphictionum et Romanorum auctoritate pendeant, certiores faciant, alio qui plenior servatus est (5) de propriis rebus Atticis technitarum edocemur, quippe qui ab uno de suis magnopere adiuti, cum res publica per Sullam summam in calamitatem cecidisset[53]), sacris Eleusine faciendis prospexerint. Omnino vero societatem Atticam non nimii momenti fuisse suspicari licet, si modo regum potissimum cura res collegiorum illorum auctas esse recte disputavimus[54]). Itaque ne miremur quidem, quod sodales collegii Attici pessima cum adulatione Mithridatis nuntio obviam ivisse regemque ipsum novum Dionysum appellasse legimus (Athen. V 48 p 212 de).

Aliis de inscriptionibus, imprimis male quadam habita (2), in qua alius quoque collegii (*τῆς Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας*) mentio fit, iudicium tum demum facere poterimus, cum huius rationem perspexerimus.

Multo celebrius quam Attica synodus, quantum ex lapidibus nobis servatis concludere licet, collegium illud fuit, quod *τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ᾽ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* nominari iam vidimus. De quo quamquam optime Luedersius (p. 74 ss.) disseruit, quod contendit loci significationem sollemnem fuisse *ἐπ᾽ Ἰ. κ. Ἑ.*, aperte erravit. Negari quidem non potest in singulis quibusdam titulis alio quoque modo loci commemorationem fieri, quam rem Newtonius (AGJIII p. 242) attigit neque tamen satis accurate pertractavit. Atque *οἱ ἐπ᾽ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* artifices illius collegii appellantur[55]), ut hoc additamento significetur collegium ipsum in illis urbibus habitare, i. e. eius sodales, quamvis sedes sit urbs Teos, ex illis potissimum oriundos esse atque ibi ludos agere. Haec autem oppida ex Graecorum sententia regionem certis quibusdam finibus circumscriptam effecisse ex Polybii verbis (18, 41a, 2) apparet: *Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς πάνυ ὠρέγετο τῆς Ἐφέσου διὰ τὴν εὐκαιρίαν τῷ δοκεῖν μὲν κατὰ τῆς Ἰωνίας καὶ τῶν ἐφ᾽ Ἑλλησπόντου πόλεων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ἀκροπόλεως ἔχειν θέσιν κτλ.* Etiam accuratius regionem, in qua collegium sedeat, Strabo significat (XIV 1, 29 p. 643C) hisce verbis: *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν ἡ σύνοδος καὶ κατοικία τῶν ἐν Ἰωνίᾳ μέχρι Ἑλλησπόντου.* Neque vero negari potest in duabus quidem inscriptionibus paullo secus atque in ceteris regionem significari; in una enim legimus (17 v. 1) *τῶν ἐν Ἰ. κ. Ἑ.*, quae dicendi ratio, cum titulus ille ab Jasi incolis, non ab ipsis technitis exaratus esse videatur, haud scio an minus accurata sit, in altera imperatorum temporibus composita (20)[56]) *τῶν ἀπὸ Ἰ. κ. Ἑ.*, id quod inde ortum esse censeam, quod illud decretum non in ipsius collegii sede, sed Trallibus scriptum est.

Iam collegium Teium ante imperatorum aetatem pleniore quodam nomine appellatur (11 v. 1 s, 5 s.; 12 v. 3 ss.; 17 v. 1): *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐπ᾽ Ἰ. κ. Ἑ. καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον.* Hoc additamentum quid sibi velit viri docti inter se dissentiunt. Foucartius enim Boeckhium secutus putat (p. 7) eos, qui sibi patronum *Δ. καθηγεμόνα* nuncuparent, ex ipsa Teo oriundos esse, et iampridem in ea urbe exstitisse, quae Bacchum intra fines suos natum esse contenderet; Muellerus vero Luedersii verba (p. 78) ad verbum fere repetens dicit (p. 395 adn. 4): „***sie sind eher als ein Nebenzweig anzusehen, der zunächst selbständig spielte, sich aber dann der Hauptgesellschaft anschloss***“. Quae sententia quamvis probabilis esse videatur, cum nunc constet *Δ. καθηγεμόνα* praecipue Pergami esse cultum ibique templum technitarum fuisse[57]), facere non possumus, quin *τοὺς π. τ. καθηγεμόνα Διόνυσον* illos artifices intellegamus, quibus cum Pergami versarentur singularis quidam honos concederetur, quandoquidem et sacro communi prospicerent et regibus quam maxime praesto essent.

Magna quoque est inter viros doctos dissensio, quae ratio intercedat inter societatem magnam et *τὸ κοινὸν τῶν συναγωνιστῶν* uno titulo (13) commemoratum. Boeckhius enim putaverat illud collegium ex artificibus exteris constitisse, qui ad ludos celebrandos ad domesticos se applicavissent, contra Luedersius id societatem quandam minoris momenti cum maiore collegio coniunctam

---

amphiktyonischen Rathe nicht neu geschaffenen, sondern nur sanktionirten Bestimmungen wurde es klar und scharf ausgesprochen, dass die mit einem priesterlichen Charakter bekleideten Techniten ein besonderes Wesen neben dem Gemeinwesen bildeten.“

53) Tempus enim nunc satis definitum est; cf Muellerum, p. 394 adn. 3.

54) De minus splendida artis condicione, qualis fuerit Athenis inde a saeculo tertio, v. Reischium, p. 81.

55) 11 v. 1, 5; 12 v. 4; [18 v. 11 s.] (v. s. p. 4 adn. 13); cf. titulos imperatorum temporibus compositos 19 a v. 26 et b v. 13 s, ubi formula quodammodo mutata legitur (v i.) Inscriptiones vero 20 et 21 non recte suppletas esse v. i.

56) De tit. 21 aliter restituendo v. i.

57) ***Fabricius, Baumeister, Denkm. d. klass. Altert.*** II p. 1217; ***Fraenkel, Inschr. von Pergamon,*** p. 91 et 97.

fuisse censet, Foncartius autem id corpus intellegit ipsorum histrionum, qui ab aliis sodalibus collegii velut a musicis et poetis distinguantur, denique Reischius (p. 105 s.), quem Muellerus (p. 395 adn. 4) probat, de deuteragonistis et tritagonistis cogitat. Videlicet vocabuli vis non est ea, ut constanter unam explicandi rationem amplectamur necesse sit. Ut enim voce *ἀγωνισταί* ei significantur in titulis, qui certamini cuidam intersint, ita *συναγωνιστής* et *συναγωνίζεσθαι* vario modo de artificibus una de palma certantibus usurpatur[58]).

Synagonistas quidem tragicos, qui non solum in Teiae synodi decreto (17 v. 36), sed etiam in Delphico (29 v. 16) et Aegyptiaco (33 v. 38) reperiuntur, Reischium recte deuteragonistas et tritagonistas intellexisse censeo. Quomodo autem proprium *κοινόν* talium synagonistarum Tei exstiterit, fingere mihi non possum, praesertim cum si illi essent intellegendi adiectivum *τραγικός* non defuturum esse opiner. Quam difficultatem ut tollat Reischius dicit vocem synagonistae nonnunquam alio quoque sensu adhiberi potuisse (p. 106 adn. 2), collegium tamen id, de quo dicimus, omnino non respicit; qua de causa in hoc explicando Muellerus non ad virum illum doctissimum revocare debebat. Quodsi ea reputamus, quae de vocabulorum *κοινόν* et *σύνοδος* usu disseruimus, et videmus synagonistarum illud collegium sexies dici *κοινόν*, nunquam *σύνοδον* neque deum usquam commemorari, haesito an minus arta societas sit intellegenda quam magnum illud collegium Teiorum. Considerantibus autem nobis haud raro singulos aut paucos technitas ad sollemnia celebranda esse missos, quos ad alia collegia se applicasse putandum sit[59]), Boeckhius recte sensisse videtur *συναγωνιστάς* illos fuisse artifices, qui collegio Teiorum ad diem quendam festum celebrandum se applicarent. Hac cum sententia optime convenit, quod in synagonistarum decreto honor concessus non eodem modo atque in decretis ipsius collegii eiusdem fere temporis (11 v. 23; cf. v. 28; 12 v. 15, 20) publici iuris fit; cum enim ibi certo quodam die festo honos proclamatur, in synagonistarum decreto exstant (v. 16): *ἔν τε τῷ κοινῷ δείπνῳ τῶν συναγωνιστῶν καὶ ἐν τῷ θεάτρῳ*. Illud vero, quod *στεφανοῦν διὰ βίου* decernatur, maiori collegio commissum esse inde apparere existimo, quod tempus coronandi non constituitur[60]).

His satis cognitis, quae iam explicata sunt, nunc pauca dicamus de collegii Teii historia. Atque conditum id esse regnantibus diadochis Alexandri, quem et ipsum maxime Tei esse cultum constat, Hirschfeldius (AZXXXIII, 1876 p 26) non male suspicatus est. Quaerentibus autem nobis, quando illud collegium in claritudinem pervenerit, tituli illius ratio habenda est, in quo homines maxime pii (11 v. 21 *οἱ | ἐκ πάντων τῶν Ἑλλήνων εὐσεβέστατοι*) oraculum secuti Apollinis Delphici eis non solum honores concessisse, sed ludos maximos commendasse dicuntur: Delphis Pythia et Soteria, Thespiis Musea, Thebis Heraclea. Illos vero homines Amphictiones esse existimandos, qui iidem Atticum collegium privilegiis donaverint, Luedersius (p. 60 s.) luculentissime demonstravit. Quod vero idem vir doctus tempus illius Amphictionum decreti eo modo constituit, ut inde quod in decretis Aetolorum et Delphorum (9; 10), quibus Teiorum civitati privilegia initio fere saeculi alterius concedantur, ad illa respiciatur, quibus prius technitis privilegia eadem data sint, concludendum censeat ante medium fere saeculum tertium priora illa decreta facta esse, equidem haesito an altera demum parte saeculi tertii Teiae synodo et privilegia illa concessa et ludi commissi sint, praesertim cum antiquioribus illis temporibus Amphictiones synodo Atticae magnopere favisse viderimus.

At quorsus haec tam multa de prioribus collegii temporibus, quibus Pergamenorum reges illi prospexisse non comperimus? Eumenes II. quomodo synodi condiciones ordinaverit, ex decreto illo cognoscimus, quod Pergami repertum Fraenkelius (*Die Inschriften v. Perg.* no. 163) doctissime tractavit. Postquam enim illis temporibus inter civitatem Teiam et collegium artificum de pecuniis ab illis solutis (B Col II) et de panegyriarcho constituendo (C) discrimina orta sunt, rex Aristomachum

---

[58]) 21 v. 18 (Teos): *ἐκ τῶν ἰδίων ἔθηκεν τοῖς ἀγωνισταῖς*; 65 v. 14 (Aphrodisias): *διὰ τὸ τοὺς ἀγωνιστὰς [ὕστερον ἀποδημῆσαι εἰς] Ἡράκλειαν*; 74 v 21 (Ancyra): *ἤδη τοὺς ἀγωνιστὰς ἀνεκαλέσατο*; Lebas III 139 (Ephesus): *τὰ θέματα τοῖς ἀγωνισταῖς αὐξήσαντα*. — *συναγωνιστής* ille est, qui una cum aliis, non contra alios de palma certat: PASchIII p. 167 no. 275 v. 11 (Pisidia): *ἐὰν εὐτυχήσῃ δοῦλος νεικῆσαι τοῦ θέματος τὸ τέταρτον χωρεῖν εἰς τοὺς συναγωνιστὰς αὐτοῦ*; BCHV p. 35 (Mylasa): *Ἐμνήσθη Εὐάνθης Ῥούφου καὶ τῶν συναγωνιστῶν* (Rufum illum principem fuisse histrionum, qui participes illius certaminis essent, tituli editores non sine aliqua veritatis specie suspicati sunt). — In inscriptionibus vero Delphicis nuperrime repertis *συναγωνιστής* eodem modo usurpatur (BCHXVIII p. 76 no. 2) atque *ἀνταγωνιστής* (l. l. p. 81 no. 7).

[59]) Cf. artifices et ex numero sodalium Jasum (17 v. 15), Delphos (29), alio missos et *ἐντυγχάνοντας* collegii Isthmiaci (14 v. 4).

[60]) v. 21: *τῆς δὲ ἀναγγελίας τῆς τοῦ στεφάνου ἐπιμελεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας τοὺς κατ' ἐνιαυτὸν αἱρουμένους*.

quendam Teum misit, qui in rem inquireret. Cum autem hic adiuvantibus ternis viris ex utraque parte creatis libellum confecisset, quem ad regem detulit, Eumenes arbitrium fieri iussit inter utrosque (*κοινοδίκιον* A Col II), qui nisi *συνοικισμῷ* non inter se coniuncti esse putabantur (A Col. III). Inde apparet, id quod iam ex Aetolorum et Delphorum illis decretis patet, technitarum collegium ab ipsa civitate plane seiunctum fuisse. Quamquam autem Teios iussos esse technitis cedere ex hoc titulo cognoscere licet, non minus certum est regem illorum res ita ex sua voluntate instituisse, ut occasione data etiam minas iactaret, modo ne discordia illa, quae rebus divinis damno esset, tolleretur (A Col. I). Neque vero solum, quod ad privilegia attinet, technitarum sodalicium plane a regibus gubernabatur, sed etiam alio modo id regibus inservivisse ex titulis illis planum est, quibus illo ipso Eumene regnante eiusque successoribus Cratonem auletam clarissimum atque regibus maxime acceptum summis honoribus elatum esse docemur. Qua de re cum Luedersius doctissime egerit (p. 75 ss.), hoc loco id unum monendum est Pergami regibus a technitis divinos quosdam honores esse concessos. Itaque non solum is qui ab illis laudibus afficitur omnia et in honorem deorum et regum fecisse dicitur (11 v. 13, 32; 13 v. 7), sed agonotheta a technitis creatus idem erat sacerdos Eumenis regis, et dum ille vivebat (12 v. 2, 17) et post eius mortem (15). Huic imprimis commissum erat, ut diem festum regi celebrandum administraret, cum pompae praeesset[61]). Satis vero memoria dignum est Attalum II., qua videri vellet erga fratrem pietate, permisisse vel decrevisse, ut technitae fratrem etiam mortuum sacris colerent, neque, id quod ex Eumenis II. sacerdote in praescripto quodam (15) commemorato concludamus necesse est, ipsum habuisse technitarum sacerdotem[62]) Alio quidem modo quominus technitae se venerarentur non recusavit. Crato enim artifex ille clarissimus in regis honorem societatem quandam Attalistarum ex technitis constituit[63]), quam iam septimo anno, postquam Attalus regnabat (152 a. Chr. n.), fuisse videmus (15). Si autem comparamus, quae insunt versibus (CJG 3069 v. 8 ss) *καὶ πολλὰ μὲν [καλ]ὰ καὶ φιλάνθρωπα τῇ συνόδῳ παρὰ τῶν βασιλέων ἐποίησεν, ἀποδεχομένων αὐτῶν τήν τε ἐκείνου ἄπαντα τρόπον πρὸς ἑαυτοὺς εὔνοιαν καὶ τὴν ἡμετέραν ἀρίστην καὶ συναγωγὴν ἀξίαν οὖσαν τῆς ἑαυτῶν ἐπωνυμίας*, dubitari non potest, quin cum de compluribus regibus, quorum nomine se dignos praestiterint Attalistae, dicatur, Philometore demum regnante hoc decretum compositum sit, praesertim cum Philadelpho vivo regis nomen Philometori nondum concessum fuisse Fraenkelius (l. l. p. 169) demonstraverit[64]). Sequitur Attalo III demum rege synodum quoque technitarum Teium reliquisse, qua de re Strabo (XIV 1, 29 p. 643 C) exponit Quoniam enim artifices, qua morum pravitate solebant esse[65]), denuo cum Teiis simultatibus disiuncti erant[66]), Ephesum profugerunt. Neque vero regis cura eis defuit, cum Myonnesi eos collocaret. Paucis annis post eos Romanos petentes adiisse Strabo verbis hisce docet: *Ἀττάλου δὲ εἰς Μυόννησον αὐτοὺς καταστήσαντος μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου, πρεσβεύονται Τήϊοι δεόμενοι Ῥωμαίων, μὴ περιιδεῖν ἐπιτειχιζομένην σφίσι τὴν Μυόννησον. οἱ δὲ μετέστησαν εἰς Λέβεδον δεξαμένων τῶν Λεβεδίων ἀσμένως διὰ τὴν κατέχουσαν αὐτοὺς ὀλιγανδρίαν.* Inde Myonnesios, quamvis Attalus rex artifices recipi iussisset, illos a se defendisse cognoscitur. Neque igitur diu ibi mansisse videntur, sed sive iam labente Pergamenorum regno, sive post mortem ultimi regis illos adierunt, quibus, quod patriam neque habebant neque amabant, erant accepti. Romani autem sedem eis Lebedum assignaverunt, quae urbs quarto a. Chr. saeculo cum Teo coniuncta, quoniam paucos cives habebat, eos libenter recepit. Itaque ex technitarum quoque vicissitudinibus temporum

---

[61]) Cf 12 v. 17s.: *ἀγωνοθέτης καὶ ἱερεὺς βασιλέως Εὐμένου ἐν τῇ βασιλέως Εὐμένου ἡμέρᾳ ὅταν ἥ τε πομπὴ διέλθῃ κτλ.*

[62]) Num Pergami fuerit iam Attali II. sacerdos publicus, mihi non satis constare videtur. Cf. autem Fraenkelium, l. l. p. 157, qui sacerdotem artificum et publicum non satis distinguit. Dittenbergerus (Sylloge p. 355) vero Attalum II. cum Eumene II. confudisse videtur, cum, ut Attalos omnes divinis honoribus affectos esse demonstret, ad locos s. tractatos revocet. Certe Holmius (*Griech. Gesch.* IV p. 200) suo iure dicit hac in re reges Pergamenos modestiores fuisse quam alios (v. i synodos Aegyptiacas).

[63]) Non de proprio technitarum collegio esse cogitandum Luedersius (p. 22 adn. 51) ad liquidum perduxit.

[64]) Neque igitur Fraenkelius, quamquam recte dixit Meierum (Encycl. Hall. III 16. p. 411 s.) falso putasse iam Philadelpho vivo Philometorem regem esse appellatum, locum s 1., ad quem Meierus delegat, satis explicavit, quoniam omnes difficultates non tolluntur nisi titulum illum Philometore rege compositum esse statuimus. Quae cum ita sint, epistula Cratonis Philadelpho regnante missa, cuius praescriptum habemus (15), prior quaedam fuit, non, id quod viri docti putaverunt, testamenti Cratonis initium, de quo in altera illa inscriptione agitur.

[65]) Cf. Aristotelis locum notissimum (probl. 30, 10 p. 956 b 11): *Διὰ τί οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πονηροί εἰσιν;*

[66]) Una cum Teiis aliquando legatos Samothracen miserunt (18).

illorum varietates cognoscere licet, quibus regnum Pergamenum interiit. Lebedi autem technitae diutius sedem habebant, cum etiam Strabonis aetate eos panegyrim agonibus celebravisse videamus[67]).

Hanc synodum praeter ludos clarissimos, quos in ipsa Graecia ab ea factos esse supra vidimus, imprimis in Asia Minore egisse apparet[68]), velut Iasi suis sumptibus Dionysia celebranda curat (17). Quod vero una ex antiquioribus societatibus etiam imperatorum temporibus floruit, hac de re infra dicendum erit.

Ut Teium collegium in Asia Minore floruit, ita in ipsa Graecia magnum quoddam sodalicium gloriam assecutum est, quod ex ludis, quibus artifices illi interesse solebant, plerumque audiebat *τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας*[69]). Hanc societatem cum Luedersius, cui viro docto tres tantum tituli innotuerunt, nondum tractare potuisset, alii de illa inter se magnopere dissenserunt.

Ut hac quoque in parte disputationis nostrae initium capiamus ex nomine collegii tractandi, ex praepositione *ἐξ* usurpata concludendum non videtur artifices illos in Isthmo et Nemeae habitasse, id quod cum per se nullam veritatis speciem prae se fert, tum eis refutatur, quae expositiuri sumus; ortum autem videtur illud *ἐξ* e Graecorum ea ratione dicendi, qua nonunquam terminum significare malunt, unde quis redeat, quam quo proficiscatur. Ceterum in unius tituli (14) superscriptione habemus: *Τῶν ἐν Ἰ. κ. Ν. τεχνιτῶν.* Et profecto haec minus accurata formula inde originem duxit, unde eadem in una inscriptione Teia (v. s. p. 10). Ex illo ipso enim genetivo apparet haec verba non ab Isthmiaco collegio orta esse, sed a synodo Teia, cui decretum illud missum esset, vel ab ipso Cratone, qui honoraretur Quod vero in duabus aliis inscriptionibus *εἰς Ἰ. κ. Ν.* legimus, hac de re infra disserendum erit.

Quodsi locos eos respicimus[70]) quibus nulla urbis significatione adiecta *τὸ κοινὸν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν. τεχνιτῶν* commemoratur, ut alias sententias praeteream, Muellerum, qui ob unam inscriptionem (30) putet totum illud collegium fuisse Argivum erravisse manifestum est. Cum autem in illo titulo Argivo ita de artificum collegio agatur ut audiat: *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν. τῆς ἐν Ἄργει συνόδου*[71]), nihil obstat quominus ea respicientes, quae intercedere inter vocabula *κοινόν* et *σύνοδος* edocti sumus, Isthmiacum illud collegium magnum quoddam corpus existimemus, i. e. id quod nos dicimus „*Verband*“, synodum vero Argivam unum ex variis sodaliciis, quae illi maiori corpori adscripta essent. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Foucartio viro clarissimo plane assentiamur, qui ex uno hoc titulo rem ita comparatam fuisse concludit (p. 7), ut collegium universum e festis, quorum agendorum gratia convenirent, nomen duceret, partes singulae adderent civitatis mentionem in qua domicilium posuissent. Quia enim fingere nobis vix possumus, technitas illos in Isthmo et Nemeae omnes habitasse, synodi cum mentione id additur, quod desideratur, domicilii videlicet nomen, ita ut hac in re singulae partes collegii Isthmiaci optime conveniant cum Teiorum toto *κοινῷ*, quod, cum illius technitae artioribus institutis restringerentur, in singulas societates non erat divisum. Quaerentibus autem nobis, ubi ceterae Isthmiaci collegii societates fuerint, tituli se offerunt, quibus nomen huius collegii ita accuratius definiatur, ut una cum verbo *συντελεῖν* urbis mentio adiungatur. Itaque legimus (26) *τὸ κ. τ. π. τ. Δ. [τεχνιτῶν τ]ῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν., [συντελούντων δὲ] ἐν Θήβαις* vel (31 v. 1, [19], 21) . . . *συντελούντων δὲ ἐν Χαλκίδι* vel (28 v. 1) *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται οἱ ἐξ Ἰ. κ. Ν., συντελοῦντες δὲ ἐν Ὀπούντι.* Haec decreta omnia, in quibus Argiva synodus nullo loco commemoratur, ab illa orta esse Muellerum nemini persuasurum esse confido. Ac ne Reischium quidem (p. 78 adn. 4) rem ad liquidum perduxisse censeo, cum de uno eodemque sodalicio cogitet, quod et Argis et in aliis illis urbibus ludos egerit. Etiamsi enim dubitari nequeat quin verbum *συντελεῖν* de ludis faciendis apte dicatur, tamen in omnibus quas tractamus inscriptionibus cum omnino non de ludis celebrandis agitur sed de hominibus, magistratibus potissimum,

---

[67]) Satis probabiliter Foucartius (p. 9) suspicatur eos per aliquod tempus Prienae quoque habitasse, cum Antonium, postquam Sami ludos scenicos egisset, illam urbem sedem eis dedisse legamus (Plut. Ant. 57); quamquam enim Plutarchus *τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας* tantum commemorat, Teiam synodum esse intellegendam verisimillimum est.

[68]) De propria technitarum schola, quam Luedersius Tei fuisse ex titulo aliquo conclusit (p. 135 s.), non cogitari posse iam Friedlaenderus (De artif. Dionys. 1874 p. 3) docuit. Cf. Muellerum p. 396 adn. 4. — De ludis quibusdam a Teiis Co factis v. i.

[69]) Quod tit. 2 fr. b v. 11 Luedersius suppleverat *ἀπ'*, id nunc melius est restitutum; cf. 26; 28 v. 2; [29 v. 2]; 30 v. 3, 30, 33, 40; 31 v. 3, [19], 22.

[70]) V. conspectum, quem p. 7 v. 10 dedimus, imprimis 29: *εἰς Θήβας? ποτὶ τὸ κ]οινὸ[ν τῶν τεχνιτᾶν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν[εμέας* et 14: *τῶν ἐν Ἰ. κ. Ν. τεχνιτῶν.*

[71]) 30 v. 2, 39 s.; cf. ibd. v. 30: *οἱ [π. τ. Δ. τε]χνῖται οἱ ἐξ Ἰ. κ. Ν. τῆς ἐν Ἄργει συνόδου.*

honorandis, tum additamentum *συντελούντων δὲ κτλ.* tantopere respondet[72]) alteri illi *τῆς ἐν Ἄργει συνόδου*, ut non aliter explicandum esse videatur. Verbum vero *συντελεῖν* de eis apte usurpari, qui participes sint societatis cuiusdam, lexicis docemur[73]). At quibus de causis in illis titulis formula legatur *συντελούντων δὲ κτλ.*, in Argiva *τῆς ... συνόδου* nunc perspicere non possumus, praesertim cum negari non possit omnes esse eisdem temporibus attribuendas, has secundo et primo a. Chr. n. saeculis, Argivam anno a. Chr. n. 113 (cf. Reischium, p. 78 adn. 4).

Restat, ut de titulis quibusdam Isthmiaci ut videtur collegii disseramus, in quibus propria quaedam dicendi ratio inveniatur. Ac primum quidem viri docti (cf. Muellerum, p. 393 adn. 7) t. 22 v. 12 ad exemplum alius (27) etiam magis incerti[74]), de quo posthac dicemus, hunc in modum restituerunt, quem nuperrime Pomtowius (***Fleckeis. Jahrb.*** 1894 p. 557) denuo probavit: *τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰ. [κ. Ν. συντελούντων*, Reischius vero (p 79 adn. 4) supplevit *τὸ κ. τῶν τεχν. τῶν εἰς Ἰ. [κ. Ν., συντελούντων δὲ ἐν κτλ.* Quae Reischii coniectura quamvis comparatis titulis quos modo tractavimus commendetur, tamen quia cum eis quae Pomtowius ad totam inscriptionem supplendam sagacissime excogitavit non convenit, nunc reicienda est. Id unum Pomtowii non satis placet, quod alios secutus addidit *συντελούντων*, quod si omittimus melior fit conexus verborum[75]). Itaque habemus in hoc titulo saeculi tertii[76]) formulam etiam facilius explicandam (*τὸ κ. τῶν τεχν. τῶν εἰς Ἰ. κ. Ν.*), quippe qua significetur artifices illos ad ludos celebrandos in Isthmum et Nemeam profectos esse.

At de altero titulo (27) delibero an artem nesciendi exercere praestet. Dittenbergerus enim restituit [*Τὸ κ. τῶν π. τ. Δ.*] | [*τεχνιτῶ*]*ν τῶν εἰς Ἰσθ*[*μὸν καὶ*] | [*εἰς*] *Πιερίαν συντελούν*[*των .....*] | *Ζευ*[*ξ*]*ίππου κτλ.*; Foucartius vero pro *Πιερίαν* legendum proposuit (p. 27) *Νεμέαν*, quam coniecturam prorsus specie verisimilitudinis carentem reprobandam esse apparet (cf. Reischium, p 78 adn. 4). Ac ne ea quidem quae Dittenbergerus proposuit, nobis placent. Si enim tres versus priores eiusdem longitudinis in lapide fuisse censeamus atque sequentem quartum qui nobis servatus est, parum probabile sit post *συντελούν*[*των* trium fere litterarum spatium ad nomen restituendum superesse. Cum igitur omnino versus sint diversae longitudinis, equidem censeo duos priores paullo longiores fuisse, eiusdem fere longitudinis atque ultimum. Quocirca ea, quae Dittenbergerus supplevit inter versum primum et secundum quaeque cum formulas *ἐξ Ἰ. κ. Ν.* et *ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* et similia respeximus, propter repetitam praepositionem ne verisimilia quidem videntur, accipi non possunt. Equidem opinor post *Ἰσθμὸν* addendum esse *καὶ Νεμέαν*, quibus regionibus certo quodam modo, quem explicare non possumus, in hoc titulo ut videtur antiquiore tertium illud *καὶ Πιερίαν* adiungatur. Quae si ita se habent, concedendum quidem est verbum *συντελεῖν* paullo aliter usurpari atque in ceteris illis inscriptionibus[77]).

Iam si recte a nobis disputatum est certum quoddam *κοινὸν* fuisse omnium illarum societatum, quae essent Thebis Opunte Chalcide Argis, difficile est explicatu, quale alterum collegium Thebanum, quod dicitur uno loco (25) *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν τῶν ἐν Θήβαις*, fuerit. Quem titulum cum saeculo a. Chr. secundo attribuendum esse Dittenbergerus docuerit, de temporum tantum quadam diversitate cogitari non potest. Accedemusne igitur ad Reischii (p. 75 adn. 5 et p. 107) aliorumque sententiam, qui duo diversa collegia Thebis fuisse censent? Equidem vix crediderim. Quodsi quomodo vel in huius collegii titulis ratio dicendi variet[78]) consideraverimus, nonne hoc quoque loco, quo statua

---

[72]) Uno quidem loco tituli Chalcidensis (31 v. 9) non satis certo etiam legimus *τῆς ἐ[ν Χ]α[λκίδι συνόδου]*.

[73]) Tenendum quidem est praepositionem *εἰς* post illud *συντελεῖν* esse exspectandam. Illi vero titulorum loci ita comparati sunt, ut *συντελεῖν* absolute sit accipiendum aut *εἰς Ἰ. κ. Ν.* iterum intellegendum, cui loci mentio eodem modo adiungatur, ut nos dicere possumus: *„dem ... Colleg angehörig in ...“* — Eandem fere sententiam de titulis Isthmiaci collegii ii protulerunt, qui inscriptionem 26 (Haussoullier) et 31 (Joubin, Wilhelm) ediderunt, Foucartium secuti. Tantum autem abest, ut ullo modo difficultates tollere aggrediantur, ut duas vocabuli notiones confundant et Joubinius Wilhelmiusque (p. 91) vel de propria societate collegii, quae fuerit Tei, verba faciant, cum l. l. (11) de singulis artificibus dici in Asiam Minorem profectis (v. 1 *τοῖς ἐντυγχάνουσιν [αὐτῷ τῶν ἐν Ἰ. κ. Ν. τεχνιτῶν]*) verba ipsa declarent (cf. Reischium, p. 78 adn. 1).

[74]) Quod Luedersius p. 89 adn. 167 ad exemplum illius tituli etiam huic obtrudit *εἰς Ἰσθμὸν [καὶ Πιερίαν*, id nunc aliis titulis repertis nemo comprobabit.

[75]) Nam v. 12 s. omnia optime fluunt, si scribimus: *καθὼς παρακαλεῖ τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰ. [κ. Ν. τοὺς Ἀμφικτίονας, ἐπιμελεῖσθαι το]ὺς ἱερομνήμονας κτλ.* Haec verba suppleta cum optime respondent spatiis, quae Pomtowius non potuit explere, tum commendantur v. 6 (*παρεκάλεσεν τοὺς Ἀμφικτίονας*) comparato, ad quam locorum similitudinem P. ipsum p. 557 revocavisse non est praetereundum.

[76]) V. Pomtowium, l. l. p. 555.

[77]) Cf. autem quae de vocabuli vi exposuimus adn. 73.

[78]) Cf. e. gr. tit. 28: omissis et ludis et deo collegium audit (v. 7) *τὸ κ. τ[ῶν τεχν]ιτᾶν*, id quod nusquam alibi invenitur, cum alio loco (1) plena et usitata formula reperiatur. Alia exempla v. p. 7 adn. 40.

hominis cuiusdam honorati Baccho dedicetur, breviorem esse dicendi modum statuemus, praesertim cum Argivae inscriptionis uno loco, quo item titulus honorarius inscribendus afferatur, breviorem quandam formulam (30 v. 33: *τὸ κ. τῶν π. τ. Δ. τεχν. τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν.*) cognoscere possimus, alibi aut pleniorem aut multo breviorem?

Haec res optime confirmatur eis quae de collegio Isthmiaco, quamvis illud rarissime ita in titulis inveniatur, ut quin totum sit collegium [79]), non pars quaedam dubitari non possit, enucleari licet.

Ac primum quidem dicendum est de titulo quodam in Attica reperto (2), quem tam lacerum esse valde doleo. Hoc loco de litibus inter Athenienses et collegium artificum ortis agi Koehlerus censet. Mihi vero multo aliter res inter se conexae fuisse videntur. Cum enim in fragmenti **a** primis versibus discrimina quaedam commemorentur (v. 14 *κατηγορίας ποιεῖσθαι κατὰ*), in epistula Amphictionum (fr. b) dubium est an dicatur et de synodis, quae participes fuerint (v. 8 *ἐπὶ τὰς μετεχού[σ]α[ς]*) collegii illius magni *τῶν ἐξ] Ἰ. κ. Ν. τεχν.* (v. 14) et de dissolutione illius corporis (v. 9 *κατ]αλύσει μὲν τοῦ κοινοῦ*) sive facta sive evitata. Romanos vero intervenisse videmus (v. 10), quibus auctoribus Amphictiones quaedam in unaquaque urbe, scilicet collegii Isthmiaci, perscribi volunt (v. 11 *κατὰ πόλιν ἀνα[γράψαι]*). Reliqua quamvis incerta sint, tamen collegium illud magnum ex senatus consultis, de quibus verba fiunt (v. 16), servatum esse arbitror; certe fr. c docemur Atticae illi synodo mansisse privilegia ei prius concessa (v. 6: *διαφυλάσσειν τ[ὰ]ς δεδομένας ὑ[φ' ἡ]μῶν*]). At quid fuerit Atticae synodo cum collegio Isthmiaco quaesiverit quispiam? Quodsi conexum sententiarum recte restituimus, facere non possumus, quin Atticam quoque synodum illis temporibus unam fuisse ex eis putemus, quae participes essent (*μετεχουσῶν*) collegii Isthmiaci. Quae cum ita sint, usus vocabuli *κοινόν* et in subscriptione huius tituli et aliorum (v. s. p. 7 adn. 40) facilius perspici potest; imprimis verba *τὸ κοινὸν τ[ῶ]ν τεχν. τῶν ἐν Ἀ[θήναις]*, quae hoc loco leguntur (fr. c. v. 11) verbis tituli Thebani modo tractati (25: *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχν. τῶν ἐν Θήβαις*) respondent. Nimirum vel potentissimarum urbium synodos titulum *κοινόν* etiam verbis *ἐξ Ἰ. κ. Ν.* omissis sibi sumpsisse eo minus mirandum est, quod proprias res ab unaquaque synodo tractatas esse, proinde ac si ipsa *κοινοῦ* loco decerneret, ex ipsarum nominibus (*τὸ κοινὸν τῶν . . . ἐξ Ἰ. κ. Ν. τεχν. συντελ. κτλ.*) apparet.

Etiamsi autem titulis adhuc notis in eam sententiam adductus sum, ut etiam Atticam synodum partem aliquando fuisse collegii Isthmiaci putem, attamen ea quae sentio tam confidenter proferre [80]) dubitarem, nisi illa nostra sententia titulis nuperrime Delphis inventis neque vero adhuc editis miro quodam modo confirmaretur. Ex his si modo brevibus illis verbis nobiscum communicatis [81]) fides est habenda, in ius itum esse comperimus et a Thebana et ab Attica synodo ante collegium Isthmiacum, deinde rem ab Amphictionibus, denique a Romanorum magistratibus et senatu tractatam esse. Qui autem fieri potuisse censes, ut Attica synodus apud illud collegium Isthmiacum litigaret, nisi ei adscripta esset? Thebanam et Atticam synodum nonne saepius simultatibus disiunctas esse suspicari licet, quandoquidem vel has nomen *κοινόν* etiam omisso proprio illius collegii titulo (*ἐξ Ἰ. κ. Ν.*) sibi vindicare videmus? Quibus vero temporibus Attica synodus maiori corpori adiuncta fuerit, coniectura augurari possumus. Tum enim cum Atticis technitis privilegia illa data sunt (1), synodus ex maiore sodalicio nondum pendebat. Iam vero ante medium fere saeculum tertium Isthmiacum collegium conditum esse et ad illud Atticam synodum se applicasse non solum ex duobus titulis honorariis (7; 8) concludendum est, in quibus *τὸ κοινόν* scriptum videmus, sed etiam ex Soteriorum catalogis illis multum tractatis (***Wescher-Foucart*, *Inscr. de Delphes***, 1863, no. 3–6 = Lueders no. 112), quos ante medium fere saeculum tertium conscriptos esse et Reischius graviter docuit (p. 97) et Pomtowius (***Fleckeis*. *Jahrb*** 1894 p. 502) comprobavit. Hae ipsae feriae ut splendide celebrarentur, paullo postquam institutae essent, sodalicia in maius collegium coaluisse verisimillimum esse videtur; ab illo igitur sodalicio Isthmiaco Soteria ea [82]) curata esse, quorum catalogos habemus, apparet. Qua cum sententia quid melius congruit quam quod ibi 25 Sicyonii, 8 Argivi, 49 Boeoti,

---

[79]) Quomodo *κοινόν* et *σύνοδος* diversa fuerint optime illustratur titulo Chalcidensi, si modo est technitarum (32); unus enim homo dicitur *ἀπὸ κοινοῦ*, alter *ἀπὸ τῆς αὐτῆς συνόδου*. De usu praepositionis cf. i. titulos posteriores.

[80]) Nimis confidenter Joubinius et Wilhelmius (BCH XVI p. 91) et tit. 1 et 2 ad Atticam partem magni collegii Isthmiaci referunt. — Cf. quae de Athenarum minore auctoritate s. p. 10 adn. 54 exposuimus.

[81]) BCH XVII p. 613: *„dossier d'un litige survenu entre l'association des τεχνῖται d'Athènes et la corporation de Thèbes et porté tour à tour devant le synode de l'Isthme et de Nemée, devant les Amphictions, enfin devant les magistrats et le sénat romain* (*Homolle*).

[82]) Neque enim Soteria in catalogis commemorata prima fuisse Reischius l. l. docet.

31 Athenienses inveniantur[83])? Iam cum sacerdotem catalogis praescriptum collegii Isthmiaci fuisse putemus, sacerdotem quoque Argivum catalogi Boeotici[84]) et tituli Thebani (CIGS 2447)[85]) eiusdem fuisse participem verisimile est. Epistulam quoque, qua magistratus quidam Romanus technitis privilegia concedit (24), quominus ad magnum collegium Isthmiacum datam esse suspicemur nihil est quod impediat.

Attica synodus quando seiuncta sit a *κοινῷ* nescimus; id unum constare videtur (v. s. p. 10) post cladem Sullanam (cf. 5) technitas Athenienses denuo liberos fuisse ab illius arbitrio.

Restat, ut de ceteris inscriptionibus agamus, ubi totius *κοινοῦ* certa quaedam mentio fit. Et in antiquissimo titulo (22), in quo collegium etiamtum *τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰ. κ. Ν.* audit, cum Amphictiones de feriis trieteridibus Bacchi quaedam constituant, commemoratur. His enim diebus festis, qui in clarissimo illo hymno Apollinis Delphis nuper reperto *τριετὴς φαναί* audiunt, artifices fabulas quasdam egisse ad Bacchi cultum pertinentes Pomtowius (l. l. p. 558) satis probabiliter coniecit Augusti Mommseni sententiam secutus. Praeterea ex illa inscriptione extrema *ταμιεῖον* collegii Thebis fuisse colligi potest. Unde si quis concludat Thebas totius *κοινοῦ* caput fuisse, id quod nos dicimus „*Vorort*“, equidem non obloquar[86]), quod haec sententia optime eis commendatur, quae de superba ratione modo exposuimus, qua synodus Thebana se gesserit et cum Atheniensium sodalicio auctoritate sibi suppari de principatu contenderit.

Itaque ex alio decreto Delphico (29) intellegimus Thebas legatos missos esse, qui collegio Isthmiaco Soteria hibernalia denuntiarent[87]). Neque enim, cum *εἰς Θήβας* recte suppletum esse videatur (cf. Reischium p. 103), satis verisimile est additamentum *συντελούντων δὲ ἐν Θήβαις* (v. s. p. 13) nulla alia de causa nisi ob antecedentem urbis commemorationem post sodalicii nomen omissum esse.

Denique optime intellegitur, cur et socius alius sodalicii, velut Teii, qui de sodalibus Isthmiaci (*ἐντυγχάνουσιν*) bene meritus sit, non a singulari parte sed a toto *κοινῷ* honoretur (14), et in singularum synodorum decretis ad *κοινὸν* iis tantum locis respiciatur, ubi de meritis quibusdam agatur[88]).

Quoniam igitur mihi demonstravisse videor vel potentissima capita regionum Graeciae variarum, Athenas Chalcidem Thebas Opunta Argos sedes singularum synodorum collegii Isthmiaci fuisse, etiam aliis quibusdam in urbibus maioribus, velut Corinthi Sicyone Phliunte similes societates exstitisse suspicari licet[89]). Immo equidem existimaverim omnes technitas totius Graeciae etiam Thessaliae et Macedoniae[90]) in unum magnum corpus congregatos fuisse. Quia igitur, ut omnes fere artifices Asiae participes erant synodi Teiae, ita artifices ipsius Graeciae erant collegii Isthmiaci et nonnullis quidem temporibus unum collegium item atque alterum in Graeciae ludis maximis intererat, homines Graeci in sermonibus cotidianis inter se quaerere solebant, utrum Asiae an Europae artifices essent meliores[91]).

Quod ad tempus attinet, quo hoc collegium conditum sit, apparet, cum Isthmia non ante saeculum quartum, Nemea inde a saeculo demum tertio ludis musicis celebrata esse Reischius (p. 78 s.) docuerit, saeculo tertio demum, fortasse non ante Soteria (v. s.) instituta, collegium Isthmiacum esse ortum. Immo non multum a vero aberremus, si censeamus ad illos ipsos agones novos Isthmiorum et Nemeorum efficiendos collegium ita creatum esse, ut ad nomen Isthmi paullo post accederet Nemeae.

---

[83]) Luedersius (p. 113 et 135) Soteria illa a Teia synodo acta esse censuit. Rectius Sauppius (p. 13) de Attico sodalicio cogitavit, optime Foucartius (p. 63) de Attica et Argiva et Thebana. Reischius quoque proxime ad verum accessit, cum diceret (p. 103 adn. 1): „quod si respexeris in quattuor illis Soteriorum catalogis . . . esse Sicyonios XXV, Argivos VIII, Boeotos XXXXVIIII, suspicari possis hos quoque artifices Isthmiaci collegii sodales fuisse, cuius sodalicia aliquot minora Thebis, Argis, Sicyone aliisque ex urbibus conveniebant ad magna illa sollemnia celebranda.“

[84]) V. tit. 23 (cf. autem Reischium p. 106); Dittenbergeri tituli restitutio quid sibi velit non satis intellego.

[85]) Sacerdos videtur esse homo Chalcidensis.

[86]) Itaque cum Pomtowio facere non possum, qui verba illa liberiore quodam modo ita expressit (p. 558): „*und die Beschlüsse im Verwaltungslocal des thebanischen Collegiums zu Theben einmeisseln liessen.*“

[87]) *πρεσβε]υτᾶν ἐξαποσταλέντω]ν εἰς Θήβας ποτὶ τὸ κ]οινὸ[ν τῶν τεχνιτᾶν τῶν ἐξ Ἰ. κ. Ν]εμέας . . . [ἐπὶ τὴν ἐπαγγελίαν τῶν χ]ειμερινῶν Σωτηρίων κτλ.*

[88]) Cf. 28 v. 6: *τᾶς ποτὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβεία[ς] καὶ τᾶς ποτὶ τὸ κοινὸν τ]ῶν τεχν]ιτᾶν εὐνοίας* (ubi de propriis officiis eius, qui honoratur, et de gratiis ei relatis agitur, synodus nominatur: v. 5, 10, 12, 14); 31 v. 20: *ἐπὶ τῇ πρὸς] τὸ κοινὸν σύνοδ[ο]ν.*

[89]) Cf. Foucartium, *Rev. archéol.* N. S. XXII (1870/1) p. 111.

[90]) Larissae *τοῖς τεχνίταις* sedes quaedam reservatae erant (Ussing, Inscr. gr. ined., 1847, p. 26 no.: 15). Cf. *τεχνίτας εἰς Ἰ. [κ. Ν. κ.] Πιερίαν συντελοῦντας.*

[91]) Sagacissime enim de Dionysiacis artificibus Foucartius (p. 9 adn. 2) intellegit Theophrasti (charact. 23) verba: *καὶ περὶ τῶν τεχνιτῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅτι βελτίους εἰσὶ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ἀμφισβητῆσαι.*

Quoniam autem fieri nequit ut hoc loco de singulis rebus collegiorum Dionysiacorum disseram, in aliud tempus differendum est quae ratio intercesserit inter collegium Isthmiacum et singulas synodos. Hoc unum addam. Tei artifices cum gubernarentur imprimis a regibus Pergamenis, artifices ipsius Graeciae ab Amphictionibus regebantur; neque vero a singulis saltem societatibus reges neglectos esse inde apparet quod in Argivae decreto (30 v. 25) Nicomedes II. Bithyniae rex statua honoratur, qui quin post Pergamenorum obitum artificum res tuendas susceperit Foucartius (l. l. p. 114) non dubitat.

Praeter duo illa collegia nobilissima, quae modo tractavimus, duabus in aliis regionibus orbis Graeci technitarum sodalicia inveniuntur. Nimirum ex regibus Aegyptii quoque nominandi sunt, cum artificibus et in Aegypto et in Cypro prospicerent, ex civitatibus urbes quaedam paucae Siciliae Italiaeque.

In Aegyptum nobilissimos comicos iam a Ptolemaeo Lagi arcessitos esse Luedersius (p. 92) monet. Quod idem a Ptolemaeo Philadelpho hominem Dionysiacum nullum, id quod praedicat Theocritus, sine donis esse dimissum affert, ne inde quidem iam tum synodum quandam fuisse Alexandriae concludamus necesse est. Maioris certe momenti est, quod a Callixeno (Athen. V p. 198c) Philiscus poeta, qui una cum technitis commemoratur, sacerdos Bacchi appellatur. Et fuisse Philadelpho rege[92]) societatem artificum in Aegypto nunc titulis duobus docemur (33; 34). Cum igitur hi tituli inter antiquissimos technitarum sint, fortasse ne recentiores quidem Attico antiquissimo (1), haud scio an inde, quod homo quidam ob id ipsum laudetur, quod technitarum res (*τὸ τεχνίτευμα* 33 v. 11) auxerit, illis demum temporibus collegium certiore quodam modo constitutum esse efficiatur.

Quodsi primum quaerimus, utrum singulae tantum societates in Aegypto fuerint, an ibi quoque maius sodaliciorum corpus exstiterit, et ex usu vocabulorum *κοινόν* et *σύνοδος* et ideo quod duae illae inscriptiones aliis quoque rebus inter se differant, quamvis omnes difficultates tollere posse mihi non videar, tamen statuendum censeo in Aegypto quoque maius fuisse collegium, cui singulae synodi essent addictae. Cum enim t. 33 v. 14 *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν* habeamus, quod pleniore nomine audit v. 1 *τεχνῖται οἱ π. τ. Δ. καὶ Θεοὺς Ἀδελφούς*[93]), legimus in t. 34: *ἔδοξεν τοῖς τεχνίταις τοῖς π. τ. Δ. καὶ Θεοὺς Ἀδελφοὺς καὶ τοῖς τὴν σύνοδον νέμουσιν*[94]). Quid autem illud *οἱ τὴν σύνοδον νέμοντες* sibi velit intellegere non possumus, nisi statuimus hac formula, in qua sola vox *σύνοδος* (v. s. p. 6 s.) inveniatur, item atque additamento *συντελοῦντες κτλ.* homines quosdam significari, qui synodo cuidam maioris sodalicii addicti sint[95]). Quid? quod omnia quibus duo illi lapides inter se differant, si titulum priorem (33) ortum esse statuimus a toto collegio Aegyptiorum magno, quod Ptolemaidem convenire soleret, alterum (34) ab illius singulari quadam synodo, quae Ptolemaide sederet, facile explicantur? Ac primum quidem in synodi tantummodo decreto, ubi de urbis technitis sermo esse videtur (34 v. 7), Baccho certum cognomen Magni (*μέγας*) tribuitur. Deinde cum in utroque decreto *πρύτανις* quidam *διὰ βίου* colatur, in titulo *τοῦ κοινοῦ* etiam maiore hipparchi munere insignis est. Adde quod in hoc decreto et merita eius, qui honoribus afficitur alio atque eo graviore modo extolluntur et honores maiores decernuntur. Cum enim hic etiam ob suam in regem regisque parentes benevolentiam (33 v. 19 s. *εὐνοίας τῆς εἰς τὸν βασιλέα καὶ τοὺς τούτου γονεῖς κτλ.*) praedicetur eamque ob rem non solum corona hederacea sed etiam tabula picta honoretur, quae in prytanei vestibulo statuatur[96]), hic ob suam erga urbem et technitas benevolentiam tantum laudatur (34 v. 5 ss. *εὐνοίας ἕνεκα τῆς εἰς τὴν πόλιν τῶν Πτολεμαιέων καὶ τοὺς τεχνίτας τοὺς [π.] τ. μέγαν Δ. κ. Θ. Ἀ.*) neque quicquam nisi coronam illam usitatam accipit. Etiam tota ratione, qua tituli illi honorarii curantur inscribendi, inter se differunt: in pleniore enim illo (33 v. 23) scriba *τοῦ κοινοῦ* commemoratur, a synodi decreto abest; neque vero hic casu quodam eum omissum esse, ut tituli illi alioquin sint diversi, sibi quisquam persuaserit. Denique quam mira ratione in *κοινοῦ* decreto ad coronam adiungatur tabula picta, non neglegendum esse videtur. Cum enim legamus (33 v. 15 ss.) *στεφανῶσαι . . . κίττου στεφάνῳ . . . τύχῃ τῇ ἀγαθῇ ἀναθεῖναι δ' αὐτ[οῦ] καὶ εἰκόνα γραπτὴν κτλ.*), facere non possum, quin inde, quod hic honos a toto *κοινῷ* ad coronam a synodo concessam adderetur, illud *ἀγαθῇ τύχῃ* originem duxisse censeam, quod in contextum non satis quadrare toto verborum ordine (cf. δ') demonstratur.

---

92) De tempore Millerus exponit BCH IX p. 137 s.

93) Cf. v. 8 et 21: *οἱ τεχνῖται*, v. 23: *τὸ κοινόν*.

94) Cf. v. 8: *τοὺς τεχνίτας τοὺς [π.] τ. μέγαν Δ. καὶ Θ. Ἀ.*

95) Particula *καὶ* pars eodem modo ad totum corpus adiungitur atque in Teiorum inscriptionibus (v. p. 10): *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχν. τῶν ἐπ' Ἰ. κ. Ἑ. καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Δ.* (v. de titulo 71 imperatorum temporibus conscripto i. p. 23 adn. 144). Vocabulum *σύνοδος* simili modo adicitur in inscriptione Argiva (30); v. p. 13.

96) Decretum vero in utroque titulo ante templum Bacchi poni iubetur (33 v. 25; 34 v. 11).

Hanc ad sententiam accurata titulorum examinatione perductus sum, quamquam non nego duas potissimum res illi repugnare. Neque enim intellegere possumus, cur illud *κοινόν* Ptolemaide non Alexandriae sedem habuerit, neque cur tam pauci artifices in catalogo titulo maiori (33) adiecto recenseantur. Cum autem et viderimus Teiam quoque synodum in urbibus maxime variis eisque partim ignobilibus procedente tempore consedisse neque titulus integer servatus sit, in sententia quam protuli acquiescendum putavi.

Ad Aegyptiaci collegii autem exemplum in insula Cypro[97]) quoque Aegyptiorum reges collegium quoddam, quod omnes artifices insulae totius complecteretur[98]) et cuius sedes esset Paphus[99]), institnisse videntur. Fueritne vero illud collegium Cypriacum in singulas synodos divisum, dubium est.

Condicio quae fuerit universa collegiorum in Aegypto et Cypro florentium, duabus potissimum ex rebus cognoscitur.

Regni enim Aegyptiaci artifices primi reges non solum plane ut deos colebant, sed eorum nomina in decretis ad nomen Bacchi adiungebant, quam rationem dicendi imperatorum demum temporibus alibi quoque in usum venisse videbimus. Itaque in lapidibus Ptolemensibus audiunt *οἱ τεχνῖται οἱ π. τ. (μέγαν) Δ. καὶ Θεοὺς Ἀδελφοὺς*[100]), in Cypriacis aut *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται* ([35]; 37) aut *οἱ π. τ. Δ. καὶ Θεοὺς Εὐεργέτας τεχνῖται* (36; 38; 39). Cum autem Philadelphus ille, qui in titulis Aegyptiacis commemoratur, I. intellegendus sit, Euergetes ille, quem artifices Cyprii venerentur, II. esse videtur (Newton, AGJII p. 153).

Neque vero artifices regni Aegyptiaci singularem tantum quendam honorem regibus tribuebant, sed in regno illo optime ordinato a regibus per magistratus publicos certo quodam modo gubernabantur, ita ut similes discordiae atque Tei ibi exoriri non possent. Itaque et in utroque decreto Aegyptiaco *πρύτανις διὰ βίου* a technitis honoribus afficitur, quem oppidi magistratum fuisse Millerus recte suspicatur[101]), et in insula Cypro homo quidam est *ἄρχων* et urbis Paphi et technitarum[102]). Aliis quoque negotiis atque administrationibus regiis, si modo sunt negotia non meri tituli, eos qui ab artificibus honorentur sive synodi Dionysiacae participes sint[103]) sive hoc demonstrari nequeat[104]), praepositos esse videmus.

De posterioribus Aegypti temporibus pauca ex scriptoribus colligere possumus. Tlepolemum enim Ptolemaei Epiphanis tutorem magnas pecunias technitis dedisse, quippe quos collegio Aegyptiaco addictos fuisse verisimile sit, apud Polybium scriptum videmus[105]). Ptolemaeus XII autem, ultimus Aegypti rex frater Cleopatrae, cognomen *Διόνυσος*[106]) habebat[107]).

Quodsi Siciliam et Magnam Graeciam respicimus, cum per se patet ibi quoque, quandoquidem non omnes artifices ex Graecia vel Asia Minore arcessi possent, certa quaedam artificum collegia fuisse, tum paucis titulis confirmatur. Syracusis enim *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν* (40 [v. 1], [3]; 41 v. 4) et Rhegii *τὸ κοινὸν τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν καὶ προξένων* (42 v. 6 s.) invenitur. Neapoli quoque technitarum societatem exstitisse etiamsi satis probabile videtur, Plutarchi[108]) verbis a viris doctis allatis certo modo non demonstratur.

Italiae et Siciliae illi artifices Graeci cum se congregarent, nomine graviore (*κοινόν*) societates singulas ornasse videntur, quoniam quomodo locis modo allatis de maioribus corporibus cogitari possit nemo perspicit.

---

97) De antiquioribus temporibus Foucartius p. 9 nonnulla collegit.

98) 37: *τῶν κατὰ Κύπρον π. τ. Δ. τεχνιτῶν*; 35: *τὸ κοινὸν τῶν κατὰ] Κύπρον γραμματ[έων καὶ τῶν π. τ. Δ.] τεχνιτ[ῶ]ν.*

99) 39: *τῶν ἐν Πάφῳ γεγυμνασιαρχηκότων καὶ ἠγητορευκότων καὶ τῶν π. τ. Δ. καὶ Θεοὺς Εὐεργέτας τεχνιτῶν*; 36: *ἠρχευκότα τῆς πόλεως καὶ τ. π. τ. Δ. κ. Θ. Ε. τεχνιτῶν.*

100) 33 v. 1; 34 v. 2, 7. — 33 v. 14 dei nomen tantum invenitur.

101) Cf. *Hartel, Über die griech. Papyri Erzherz. Rainer*, 1886, p. 32.

102) V. s. adn. 99. Boeckhium et eos qui eum secuti sint (cf. Luedersium, p. 92), falso scripsisse *ἀρχ[ιερε]ύοντα* nunc satis constat (cf. Newtonium ad l. l.).

103) 37: *τοῦ συγγενοῦς καὶ ὑπομνηματογράφου καὶ τῶν κατὰ Κύπρον π. τ. Δ. τεχνιτῶν*; 39 alia munera sodali cuidam commissa sunt (v. adn. 99).

104) 33: *πρύτανις διὰ βίου* idem est *ἐπάρχης*. Cf. 35: *Ὀλυμπιάδα ... [γεναῖκα] ... [τοῦ συγγενοῦς τοῦ] βασιλέως, τοῦ στ[ρατηγοῦ καὶ ναυάρχου] καὶ ἀρχιερέως τὸ κοινὸν τῶν κατὰ] Κ. γραμματ[έων καὶ τῶν π. Δ.] τεχνιτ[ῶ]ν.*

105) XVI, 21, 8: *διερρίπτει τὰ βασιλικὰ χρήματα τοῖς ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος παραγεγονόσι πρεσβευταῖς καὶ τοῖς π. τ. Δ. τεχνίταις, μάλιστα δὲ τοῖς περὶ τὴν αὐλὴν ἡγεμόσι καὶ στρατιώταις.* Theatrum Alexandrinum commemorat Polyb. XV 30, 4.

106) Cf. *Newton, Halicarnassus etc* II 2 p. 775 (no: 60) v. 10: *[Πτολεμαίου] Θεοῦ Νέου Διονύσου.*

107) De Basilistarum societate cum Attalistarum (v. s. p. 12) comparanda v. Boeckhium (CJG 1893 Add. — Lueders 12), qui recte de collegio quodam militari cogitasse videtur.

108) Brut. 21: *καὶ τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν αὐτὸς εἰς Νέαν πόλιν καταβὰς ἐνέτυχεν πλείστοις.*

Si quidem intelleximus praeter Italiam et Siciliam, ut videtur, omnia artificum sodalicia in pauca maiora corpora coaluisse, fieri non potest, ut plane astipulemur Reischio docenti haec (p. 75): „ac minora etiam in singulis urbibus sodalicia exstiterunt, quae nonnunquam maiorum collegiorum partes fuisse videntur". Si modo enim fuerunt parvi greges sive histrionum sive aliorum artificum maioribus illis corporibus non addicti, Dionysiacis technitis, quippe quorum collegia certis legibus ordinata fuerint et qui a regibus et magistratibus instructi sint privilegiis publicis, non sunt adnumerandi [109]. Num vero Reischius recte censeat raro singulos poetas et musicos, qui casu convenissent, in certaminibus egisse, id valde dubito. Verisimile quidem videtur paucos artifices collegiis illis florentibus nullius societatis participes fuisse [110], saepe vero non tota collegia sed singulos artifices ad ludos quosdam se contulisse et ex titulis iam tractatis (v. s. p. 11 adn. 59) et ex catalogis ludorum nobis servatis, quos cum hac in re tractanda parum iis adiuvemur consulto omisimus, accuratius examinanti apparebit.

Multa vero collegia nova iuventum iri [111] mihi eo minus sperandum esse videtur, quod vel celeberrimis et opulentissimis horum temporum urbibus, quarum multae inscriptiones nobis praesto sunt, velut Rhodo [112] et Delo propria technitarum collegia afuisse videntur.

Atque ut veniamus ad imperatorum Romanorum tempora [113], magnam tum omnium rerum commutationem factam esse cognoscimus. Postquam enim Caesares primi p. Chr. saeculi, inter quos Nero et Domitianus praecipue sunt commemorandi (v. Foucartium, p. 92), ludos ad morem certaminum Graecorum instituerunt, saeculo secundo, quantum perspicimus, collegia ita mutata et aucta sunt, ut unum ex omnibus conflaretur. Quam sententiam cum Foucartius paucis inscriptionibus fretus recte firmavisset (p. 93), Muellerus, postquam multae accesserunt, addubitare non debebat (p. 411 adn. 5) [114].

Ac primum quidem de titulo pleno ac sollemni magni illius corporis disseramus, praesertim cum inde, quomodo comparatum fuerit, maxime cognoscatur. Nomen illi fuisse *σύνοδος* supra demonstravimus, *κοινόν* vero vocem una cum collegiis magnis et Graeciae et Asiae et Aegypti interiisse censemus. Vel consulto enim loco huius vocabuli illud magis definitum substitutum esse videtur, ut omnes imperii Romani artifices separari non posse significaretur. Epitheta autem duo adiungi solent [115] *ἱερά* et *θυμελική*. Sacram quidem appellatam esse synodum, cum alia quoque sodalicia imperatorum temporibus hoc epitheto ornentur, non tam ob Bacchi quam ob Caesarum cultum opinor. *Θυμελική* vero synodus dicitur, ut ab athletarum (*ξυστική*) distinguatur; una in formula, quam omnino abhorrere ab usitata videbimus, habemus (47 v. 12): *ἱερὰ μουσικὴ σύνοδος* [116]. Raro *ἡ ἱερὰ θυμελικὴ σύνοδος* ita legitur, ut nihil addatur; plerumque enim, imprimis in decernendi formulis alia quaedam adiunguntur [117]. Paucis quidem locis synodus dicitur *περιπολιστική*; praeterquam enim quod in titulo

---

[109]) Vestigia quidem exstant societatum aliarum, quae erant minoris momenti. Cf. in tit. Amorg. (CJG 2264o = Lueders 50): *οἱ [κορδακιστα[ὶ τῶν περ]ὶ τὸν Πύθι[ον] Ἀπόλλωνα κορδάκων*.

[110]) Etiam agones his temporibus technitarum esse dicuntur; cf. CJAII 1298: *κλει[ν]οῖς ἐν ἀγῶσι τεχνιτῶν*.

[111]) Itaque e. gr. inscriptionem in insula Co repertam (*Paton and Hicks, Inscr. of Cos*, 1891, no. 21, p. 39) collegio Teio attribuendam esse existimo, etiamsi in illa parte, quae restet, proprium illius nomen non iam legatur; habemus v. 3s. *τὸ κοινὸν| τῶ[ν π. τὸ]ν Δ. τεχ[νιτῶν]*; v. 6 *τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν*; v. 9 et 10: *οἱ τεχνῖται*. — *Διονυσιακὴν σύνοδον* Phigalensium ex eis, quae Athenaeus IV p. 149b refert, non technitarum fuisse putaverim.

[112]) Conspectum collegiorum aliorum, quae plurima Rhodi exstiterint, viri docti saepe dederunt; Foucartius (BCHX p. 203 adn. 2 et XIII p. 365) plus triginta enumerat. Kaibelius vero (Hermes XXIII, 1888, p. 270), cum de Rhodiorum agonibus scenicis dissereret, synodum Teiam Rhodi in scenam prodisse acute suspicatus est.

[113]) Quomodo Romani liberae reipublicae temporibus Graecorum scenica collegia habuerint, Foucartius p. 86ss. accurate pertractavit. Id unum monendum videtur Antonium rebus technitarum tantopere favere sibi vidisse, ut *νέος Διόνυσος* appellari cuperet (Athen. IV p. 148c; Plut. Anton. 60; D. Cass. 18, 39).

[114]) Recte sensit Friedlaenderus, De artific. Dionys., p. 4; *Sittengesch. Roms* II[6] p. 88. — Reischius (*Wissowa, Real-Encykl.* I p. 862) optime rem hunc in modum definivit: „*Ein grosser, reich gegliederter Technitenverein, der neben Dionysos auch den jeweiligen Kaiser als Patron verehrt, bildet den gemeinsamen Rahmen für eine grosse Zahl von Zweigvereinen an allen Punkten des Reiches.*"

[115]) De vocabulo *σ.* nudo posito v. p. 21 adn. 161.

[116]) Neque enim formulae usitatae tituli cuiusdam Ancyrani (66) illud *μουσικῆς* cum Mordtmannio obtrudamus, qui alia quoque non satis apta supplevit (v. i. p. 20 adn. 121).

[117]) Nihil additur hisce locis: 48 v. 8ss. (Lycia) *ὃν ἐτείμησαν ὁμ[οί]ως Ἀλεξανδρεῖς, Ῥόδιοι, Ἀθηναῖοι καὶ [ἡ] ἱερωτάτη Ἀρεοπαγειτῶν βουλὴ καὶ οἱ Ἀθήνησιν Ἐπικούρειοι φιλόσοφοι καὶ ἡ ἱερὰ θυμελικὴ σύνοδος*; 76 v. 7 (Tomi) *πανηγυριαρχήσαντα τῆς θυμελικῆς συνόδου*; 49 v. 8 (v. i. p. 21 adn. 132) *καὶ ἱερᾶς συνόδου*; 78 v. 26 (Prusias ad Hyp.) [*τῆς ξ]υστικῆς καὶ τῆς θυμελ[ικῆς συνόδου]*; 79 v. 9 (Lycia) *ὑπὸ τῶν ἱερῶν ξυστικῆς καὶ θυμελικῆς συνόδων*. — In plenioribus formulis *ἱ. θ. σ.* invenitur: [46]; 50; 52 ab v. 5; [53 cf. p. 20]; 58; 66 v. 1; 69 v. 73;

Pessinunte orto (47 v. 12) legitur *ἡ ἱερὰ μουσικὴ περιπολιστικὴ [σύνοδ]ος τῶν π. τ. Δ. τεχνιτῶν*, nisi in decretis Antonianae quae dicitur synodi hoc epitheton non reperitur [118]. Foucartii (p. 94 s.) vero et Muelleri (p. 411) sententiae, qui constanter synodum *περιπολιστικὴν* dici potuisse, etiamsi hoc nomine non appellaretur, contendunt, non solum inscriptionum varia dicendi ratio, sed etiam causae duae satis graves obstare videntur. In epistula enim quadam (57 v. 24) imperator constituit, si modo equidem verba recte supplevi, ut ei tantum artifices, qui praeter ceteros ludis Hadrianeis floruerint, ad synodum *περιπολιστικὴν* accederent [119]. Ceterum silentio non est praetermittendum eam ipsam synodum, quae *περιπολιστικὴ* nominetur, praedicari eandem magnam (*μεγάλη*) musica illa excepta, quae in titulo Pessinuntio commemoratur.

Quod uno in lapide (71 v. 21) Antoniana synodus, quae Romae versabatur *νεοκόρος* audit, hic honos eo pluris aestimandus est, quod ab imperatoribus plerumque concedi non solet nisi urbibus [120].

Proximum est, ut a quorum imperatorum nominibus synodus appelletur et quo modo hoc fiat, doceamus. Primum tenendum est non illos imperatores, qui ipsi artificum gloriam captarent, velut Neronem suum nomen eis indidisse, sed vel optimorum nonnullos, quos cum totam rem publicam legibus instituerent, etiam technitarum rem explicavisse atque composuisse videmus: Traianum, Hadrianum, Antoninum. De ratione autem, qua in formula usitata *οἱ π. τ. Δ. τεχνῖται* post dei nomen addatur imperatoris [121], cum iam viderimus (p. 5), nunc primum de Traiani commemoratione est dicendum. Quamvis enim ab Hadriano magnum illud collegium conditum esse probabile videatur, attamen in praescripto tituli Nemausensis, quem Foucartius [122] quandoquidem eum rettulerit ad Hadrianum (p. 94 adn. 2) non recte legisse videtur, eius nomen Bacchi nomini adiectum reperitur hunc in modum (53): *[ψήφισμα ἱερᾶς συνόδου θυ]μελικῆς [ἐ]ν Νεμαύσῳ τῶν ἀ[πὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ αὐτοκράτορα Νέρ]ουαν Τραιανὸν Καίσαρα Σεβαστὸν [τεχνιτῶν κτλ.]* [123].

Ab Hadriano technitas etiam magis adiutos esse cum per se patet tum eo confirmatur, quod praeter nomen Caesaris dei nomini adiunctum duobus aliis additamentis synodus ipsa illi dedicari solet. Nam et *νέος Διόνυσος* praedicatur, quo titulo iam antiquioribus temporibus reges nonnunquam honoratos esse vidimus [124], et synodus ipsa audit *Ἁδριανή*. In uno vero ex decretis, quae technitae Hadrianei composuerint epitheton *νέος Διόνυσος* deesse non est quod magnopere offendamus decreta

---

71 v. 20; 74 v. 7. Etiam in uno titulo, qui restat, Aphrodisiensi (64 v. 1 et 2) epitheton *θυμελικὴ* ad illud *ἱερὰ* adiciendum videtur, quoniam versus paullo longiores cogitari possunt, quam is qui edidit censuit. — In nonnullis titulis satis laceris unum aut alterum vocabulum cognoscitur: *ἱερά*: 55 v. 5; 56 v. 6; *θυμελικὴ* 51 fr. c.; JGSJ 2500; [2501]; 67 v. 14. — In titulis quoque Latinis „sacra synhodos" invenitur: 52 fr. ab v. 4; fr. c. Etiam synodus Bacchi Bresaei (v. p. 25) uno loco dicitur *ἱερὰ* (11).

[118] V. titulum ex Attica, ut videtur, ortum: 58 (cf. 57 v. 25); CJAIII 28 (num π. restituatur valde dubium est; cf. autem Grasbergerum, *Erzieh. u. Unterr. im klass. Alt.* III p. 115 adn. 1); Thyatirensem (46 v. 2). Imprimis Romana quae dicitur synodus afferenda est: 69 v. 74; 71 v. 21. — De titulo Ancyrano (66) v. adn. 121.

[119] Scribendum enim existimo: *τοὺς Ἁδριάνεια νικήσαντας καὶ ἆθ[λα λαβόντας τῆς συνόδου τῆς] περιπο[λ]ιστικῆς μετέχειν ἔστω κ[αθὼς βουλομένοις] ἐστὶν καὶ ὑμῖν παρὰ τὰ ἐπ' ἐμοῦ σ[υγκεχωρημένα?]*.

[120] Haesito an 69 v. 71 *μεγάλ[ης νεωκόρου] ἐπὶ Ῥώμης συνόδου* restituendum sit, si modo per spatia fieri potest, quae Clercius non accurate signasse videtur. — De *νεωκόρῳ* titulo v. Buechnerum, De neocoria 1888, p. 21 ss.

[121] Constanter nomini imperatoris adiunguntur haec epitheta *Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Σεβαστός* (71 v. 3 ordo est *Α. Σ. Κ.*), ut vel *Αὐτ. Καῖσ.* nomini praeponatur (52 fr. ab v. 6; (57?); 58 v. 1; 69 v. 36 s., 76) vel *Αὐτ.* (53; 64 v. 2 s.; 66; 73 v. 5; 74 v. 3.). — Hoc statim loco monere licet titulum quendam Ancyranum (66) a Mordtmannio (Marmora Ancyr. p. 8) non recte esse suppletum. Nunc cum alii lapides Ancyrani nobis praesto sint legendum censeo: *[ψή]φισμα τῆς ἱερᾶ[ς θυμελικῆς περιπολιστι]κῆς* (vel *Ἁδριανῆς θυμελι[κῆς] συνόδου τ[ῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης] περὶ τὸν Διό[νυσον καὶ Αὐτοκράτορα] Τραιανὸν Ἁδρια[νὸν Καίσαρα Σεβαστὸν νέ]ον Διόνυσον [τ]ε[χ]νιτῶν ἱερονικῶν στ[εφανε]ιτῶν καὶ τῶν τούτων συναγωνι[στῶν*. Hoc modo titulum cum aliis eiusmodi optime convenire plus semel in sequentibus apparebit.

[122] Etiam Hicksius (AGJI p. 121) Hadrianum omnes synodos in unum collegium convocasse dicit.

[123] Kaibelius mihi non rectum sensisse videtur cum scriberet *ψ. τῆς ἱερᾶς θυ[μελ. [ἐ]ν Ν. τῶν ἀ[γωνιστῶν τῶν περὶ τ. αὐτ. Νέρ]ουαν Τρ. Κ. Σ. [συνόδου]*. Cum enim illud quod coniecit *ἀγωνιστῶν κτλ.* nusquam legatur, quae nos invenimus plane convenire cum usitata dicendi ratione manifestum est. Ne vero quis in verborum collocatione (*ἱερᾶς συν. θυμ.*) offendatur, cf. 50; [67 v. 14]; 64 v. 1 (v. adn. 117).

[124] Cf. de Alexandro Magno p. 9 adn. 50, Mithridate p. 10, de Ptolemaeis p. 18, M. Antonio p. 19 adn. 113. Inter Caesares iam Caligula hoc epitheton sibi asciverat (D. Cass. 59, 26, b; Athen. IV p. 148 d). Antinoo quoque hunc titulum ab Hadriano concessum esse multasque eius statuas Bacchi insignibus ornatas ad nostra tempora pervenisse constat (cf. *Wernicke, Wissowa, Real-Encykl.* 1 p. 2141).

synodi Antonianae respiciente. Sed num *Ἀδριανή* nonnumquam in titulis Hadriani temporibus scriptis defuerit, in tanta paucitate lapidum non satis potest perspici [125]).

Antonini temporibus cum inconstantiam quandam, quod attinet ad cognomen *νέος Διόνυσος*, observare liceat [126]), constanti usu synodus ipsa audit *Ἀδριανὴ Ἀντωνείνη*. Quorum epithetorum cum ordo variet, plerumque vero *Ἀδριανή* primo loco inveniatur [127]), equidem delibero an artifices illud *Ἀδριανή* non apposuerint, ut pleniore ratione se significarent, sed ut Antonino auctore, quippe qui Hadriani memoriam quam maxime coleret, huius nomen retinerent. Huc accedit, quod artificem quendam, qui ab Hadriano poeta aulicus (*ῥαψῳδὸς Θεοῦ Ἀδριανοῦ*) appellatus esset, hunc honorem Antonino imperante retinuisse ex titulo (69 v. 3, 62) cognoscimus [128]). Quod si quis censet inde ab Antonini demum temporibus synodum factam esse *περιπολιστική*, me non habet adversantem, quoniam in titulis illius aetatis constanter hoc epitheton invenitur, in antiquioribus, ut de incerto (66; v. s. p. 20 adn. 121) non dicam, non legitur. Hac cum re optime convenit, quod ab ipsius aetate demum epitheton quoque *μεγάλη* in usum venisse (58; 69 v. 73; 71 v. 21), ab eodem titulum *νεοκόρος* synodo concessam esse videmus. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin opinemur non Hadrianum, ut plerique censent, sed Antoninum technitarum synodum ita consummasse [129]), ut illius temporibus decernendi formula inveniatur plenissima [130]).

Post Antonini vero tempora, quamvis paucae inscriptiones nobis praesto sint, id satis mihi constare videtur artificum synodum ex imperatorum nominibus non iam appellatam esse. Quodsi quis Neapolitanorum decretum (50), quo *ἀρχιερεὺς ἱερᾶς συνόδου θυ[μελ. τῶν π. τ. Δ. τεχν.]* honoribus afficitur, respiciat, iam extremis vitae annis Antoninum artificibus suum nomen negasse suspicetur [131]). Quod vero M. Aurelium quendam *μουσικῆς περιπολιστικῆς συνόδου*, quae imperatoris nomine careat (47), participem esse videamus, nonne illum ex nobilissimo imperatore nomen traxisse verisimile est? Hic cum plane aliis studiis quam artificum favisse constet, multumne nos a veritate aberrare putatis, quod illum ipsum fortasse Antonino etiam vivo artificum superbiam restrinxisse suspicamur? Itaque in praescripto tertii quoque decreti circa annum p. Chr. 200 compositi vota quidem pro Caesaribus et synodo nuncupantur et Caracalla, non ipse imperator Septimius, *νέος Διόνυσος* appellatur neque vero pristino more eorum nomina cum nomine synodi coniunguntur [132]).

Venio nunc ad decretorum formulam sollemnem *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* [133]), quae a viris doctis vario modo explicatur. Luedersius enim censet (p. 74) dici tali collegio in toto orbe artem suam exercere licuisse, Friedlaenderus (de artif. Dionys. p. 3) synodum sodales ex toto orbe ascivisse. Quae quo iure dicantur, discerni nequit, nisi omnium locorum, quibus formula illa invenitur, ratio habetur. Itaque Muellerus uno vel altero loco verba *τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* iuxta inveniri vocem *περιπολιστική* recte quidem animadvertit (p. 411 adn. 5). Quia vero artifices peripolisticae synodi,

---

[125]) Technitae igitur his temporibus appellantur: *οἱ ἀπὸ τῆς οἰκουμένης π. τ. Δ. κ. Αὐτ. Τρ. Ἀδρ. Κ. Σ. νέον Δ. τεχνῖται*: 52 ab (v. s. p. 5 adn. 16); [66]: 74; plenior est formula in titulo Aphrodisiensi (61): *[τῶν ἀπὸ τῆς οἰκου]μένης π. τ. Δ. κ. Αὐτ. Τρ. Κ [θεοῦ Τρ. Παρθικοῦ υἱὸν θεοῦ Ν]έρουα υἱωνὸν, Ἀδρ. Κ. Σ., νέον Δ. τ.*; deest *νέος Δ.* 73. — Epitheton *Ἀδριανή* bis invenitur in titulo Nemausensi: 52 fr. ab; fr. c (non videtur cum Kaibelio supplendum *[Τραιανῆς Ἀ]δριανῆς*); in epigrammate Romae reperto 51. In titulo Ancyrano vero (66) et Aphrodisiensi (61) fortasse supplendum est (v. p. 20 adn. 121 et 117).

[126]) Legitur 58, deest 69 v. 35 (num v. 75 supplendum sit incertum). — Utrum imperator, qui in titulo Attico (57) *νέος Δ.* vocatur, Hadrianus an Antoninus fuerit, discerni nequit.

[127]) *Ἀδρ. Ἀντ.* 58; 69 v. 73; 71 v. 20. — *Ἀντ. Ἀδρ.* 46.

[128]) Cf. ibd. v. 21: *νεμόμενοι τὸ[ς προσ]όδους καθ' ἑκάστην ἐτήσιον Θεοῦ Ἀδρ[ιανοῦ γ]ενέθλιον ἡμέραν*; 29s.: *ἐπεκόσμησε μὲ[ν τὴν ἀθάνατον Ἀδριανοῦ μνήμην*. Cf. epistulam ad imperatorem Antoninum, ut videtur, a technitis datam (CJAIII 21).

[129]) Idem Friedlaenderus (*Sittengesch. Roms* II[6] p. 88) sensisse videtur.

[130]) 58: *τῆς ἱ. Ἀδρ. Ἀντωνείνης θεμ. περιπ. μεγ. συν. τῶν ἀπὸ τῆς οἰκ. π. τ. Δ. κ. Αὐτοκρ. Κ. Τιτ. Αἰλ. Ἀδρ. [Ἀντ. Σ]εβ. Εὐσεβῆ νέον Δ. [τεχνειτῶν]* (simili modo supplenda est inscript. 46: *ἡ ἱ. θ. π. Ἀντ. Ἀδρ. μεγ. σ.*); 69 v. 73s.: *τῆς ἱ. Ἀδρ. Ἀντ. θ. π. μεγ [νεωκόρου?] ἐπὶ Ῥώμης σ. τῶν ἀπὸ τ. οἰκ. π. τ. Δ. κ. Αὐτ. Κ. Τ. Αἰλ. Ἀδρ. Ἀντ. Σεβ.* (certe *Εὐσεβῆς* supplendum est, quod vocabulum post *Σεβ.* poni solet); 71 v. 20: *τῇ ἱ. ἡμῶν Ἀδρ. Ἀντ. π. θ. μ. νεοκόρῳ ἐπὶ Ῥώμης σ.*; cf. formulam breviorem: 69 v. 35: *τοῖς ἀπὸ τ. οἰκ. π. τ. Δ. κ. Αὐτ. Κ. Τ. Αἰλ. Ἀδρ. Ἀντ. Σ. Εὐσ. τεχν.*

[131]) Cf. v. 7s.: *τὰ πρῶτα διατεθέντα ὑπὸ [τοῦ] Κυρίου Αὐτοκράτορος Εὐσέβεια καὶ ὁμοίως τὰ ἑξῆς*. Quo loco cum Antoninus *θεός* non appelletur, decretum post eius mortem factum esse non satis probabile est.

[132]) 49: *Ὑπὲρ σωτηρίας καὶ νείκης καὶ αἰωνίας διαμονῆς τῶν κυρίων αὐτοκρατόρων Λουκίου Σεπτιμίου . . . καὶ τοῦ σύνπαντος αὐτῶν οἴκου καὶ ἱερᾶς συνόδου.*

[133]) Una est ratio dicendi: *οἱ ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ . . .* (sequuntur imperatoris nomina) *τεχνῖται*.

de qua in titulo Pessinuntio sermo est (47), hoc additamento non extolluntur atque in titulis Nemausensibus (52 ab; [53]) et Aphrodisiensi ([64]) artifices *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* commemorantur, qui non sint peripolisticae cuiusdam synodi, inde apparet huic Muelleri invento non multum tribui posse. Nunc cum verba genuina nonnullarum inscriptionum restituisse nobis videamur, cognoscere licet hoc additamentum nisi in eis synodorum nominibus ad unum omnibus non reperiri, quibus imperatoris quoque nomen non absit (52 fr. ab [v. p. 5 adn. 16]; 53 [v. p. 20]; 58; 64; 66 [v. p. 20 adn. 121]; 69 v. 35, 75; 73; 74), una vero cum Augustorum nominibus evanuisse (47; 50). Qua de causa dubium esse vix potest, quin verba *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* eo consilio addita sint, ut auspiciis imperatorum unam illam synodum (v. s. p. 19) ex omnibus orbis Romani artificibus effectam esse praedicetur [134]. Haec sententia optime eo confirmatur, quod *τὸ ἱερὸν ἐπὶ Ῥώμης τέμενος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης τεχνειτῶν* fuisse comperimus (69 v. 17), quod sacrum quomodo aliter accipiamus atque commune templum omnium orbis Romani artificum equidem non intellego [135].

Deinceps duo epitheta in sollemni decernendi formula technitis tributa sunt commemoranda. In omnibus enim illis titulis, qui imperatoris nomine exornati sunt [136]), technitae, quantum videre possumus, dicuntur *ἱερονεῖκαι στεφανεῖται*, quibus vocabulis honoris causa artifices illi in sacris agonibus de coronis non de praemiis plerumque certasse [137]) praedicantur.

Reliquum est, ut addamus technitis ipsis in eisdem illis titulis synodi ut ita dicam Caesarianae synagonistas adiungi [138]). Quos homines cum fieri non posse videatur ut sodales alius collegii putemus, si modo una fuit synodus, dubium est an homines quidam fuerint, qui sive ob maiorem auctoritatem sive — id quod verisimilius esse videtur — ob minorem non participes essent synodi ipsius. In ludis enim qui tum celebrabantur splendidissimis praeter proprios artifices homines condicione inferiores, qui digni non viderentur nomine technitarum, adhibitos esse existimaverim [139]).

Quoniam igitur ex synodi nomine sollemni, quod certis quibusdam temporibus constanter [140]) usurpatum esse cognoverimus, sequitur Foucartium ex paucis titulis sagacissime unam illam synodum suo iure enucleasse, quomodo magnum collegium comparatum fuerit, etiamnunc satis incertum est.

Primum difficillimum est dictu quas in partes collegium divisum fuerit. Nam si quidem sedem propriam omnium fere technitarum fuisse Romam vix potest sumi neque technitas omnes semper fuisse in itinere verisimile est, facere non possumus, quin certa quaedam loca, ut antiquioribus temporibus, sedes fuisse singularum synodi partium opinemur. Hoc sane dicendum est nullam artificum societatem nomen urbis cuiusdam suo nomini addidisse nisi Romanam ipsam [141]) et Nemausensem in eo decreto antiquissimo (53), quod Traiani temporibus compositum est. Vel igitur consulto singulae partes synodi proprium nomen evitasse videntur et sibi nomen totius magni collegii eodem modo sumere maluisse, quo antiquioribus temporibus singulae partes nomen *τοῦ κοινοῦ*. Hoc optime inde cognoscitur, quod in decreto (69 v. 39 ss.) post plenum synodi titulum (*τοῖς ἀπὸ τ. οἰκ. . . . . συναγωνιστῶν*) accuratius illi significantur qui magnis Ephesiis prospiciunt (*τοῖς ἀπ[οτελοῦ]σιν ἐπὶ τὸν ἐν τῇ μεγίστῃ καὶ πρώτῃ μη[τρο]πόλει τῆς Ἀσίας καὶ δὶς νεωκόρῳ τῶν Σεβα[σ]τῶν Ἐφεσίων*

---

134) Friedlaenderus (*Sittengesch. Roms* II⁶ p. 88) *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* non satis plane vertit *„aus dem ganzen Reiche"*.

135) Cf. Clercium ad tit. 1.

136) [52 fr. ab; v. p. 5 adn. 16]; 57; [66; v. p. 20 adn. 121]; 69 v. 38; 73; 74. Quorum titulorum ad exemplum alios quoque supplendos esse apparet, velut 53; 58; 64 (v. p. 20 adn. 117); 69 v. 77. — Ubi vero imperatoris nomen deest (17; 50), etiam duo illa epitheta non leguntur.

137) Cf. Muellerum, p. 113 adn. 3.

138) [52 fr. ab] (nimirum ea quae Kaibelius restituit a titulorum usu abhorrentia reicienda sunt); 61; 69 v. 39; [66]; 73; 74. Cf. 60 b v. 7 *στεφα]νειτῶν μ . . .* Locus hic monet, ut indicium proferam de Inscriptionis Teiae (21) initio, quod Boeckhius vir clarissimus quem omnes secuti sunt ita restituit, ut cogitaret de collegio Teio ([*οἱ περὶ τὸν Δ. τεχνῖται οἱ ἀπὸ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*] *καὶ οἱ τούτων συναγων[ισταί]*). Tametsi vero sodalicium Teium imperatorum aetate non plane evanuisse videbimus, attamen hoc loco formulam quam tractamus restituendam esse, ex eis quae etiamnunc leguntur apparebit, praesertim cum ne imperatorum quidem temporibus in decretis propriae Teiae synodi reperiantur *οἱ τούτων συναγωνισταί*. Quae si recte disputavimus, sequitur illis temporibus etiam Tei magnam illam Caesarum synodum egisse. — In tit. 17 et 50, qua sunt ratione dicendi (v. adn. 136), deest nomen synagonistarum.

139) Aliqua ex parte synagonistae tragici Teiorum comparari possunt (v. p. 11).

140) *ἡ ἱερὰ θυμελικὴ (περιπολιστικὴ μεγάλη νεοκόρος) σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ Αὐτοκράτορα . . . Καίσαρα Σεβαστὸν τεχνειτῶν ἱερονεικῶν στεφανειτῶν καὶ τῶν τούτων συναγωνιστῶν.*

141) 69 v. 24: *οἱ ἐπὶ Ῥώμης τεχνεῖται*; v. 68: *πρὸς τὴν ἐν Ῥ. σύνοδον*; etiam in formula sollemni legitur v. 74 s.: *ψήφισμα τῆς . . . ἐπὶ Ῥ. συνόδου*; 71 v. 22: *. . . ἐπὶ Ῥ. συνόδου.* — Cf. 56 v. 6 (in tit. Nemaus.): *ἐν Ῥ. ἱερὰ σ.*

πόλει τῶν μεγάλων Ἐφεσίων [ἀ]ντιπαθητικὸν ἀγῶνα[142]). His autem verbis artifices Romanos significari, qui ad ludos celebrandos Ephesum convenerint, vix potest dici. Illi Ephesii enim cum sua haberent privilegia, suas pecunias, suos conventus, technitis Romanis opponuntur[143]). Neque igitur dubitandum est, quin Ephesi pars quaedam collegii magni sedem habuerit. Aliam Ancyrae consedisse ex titulis pluribus servatis (66; 73; 74) concludere licet, praesertim cum respiciamus qua ratione in uno de illis ex more antiquiore, propria quaedam pars totius collegii significari videatur[144]). Adde partes, quas Athenis[145]) et Nemausi[146]) fuisse suspicari licet. Num Aphrodisiade[147]) quoque Thyatirae[148]) Neapoli alibi[149]) artifices certiore quodam modo consederint magis dubium est. Neque vero totam hanc rem magni esse momenti, qua fuerint artifices illis temporibus mobilitate, constat. Tametsi enim vestigia non desunt quibus appareat artificibus cuiusdam urbis nonnunquam propria privilegia data esse[150]) et privilegium migrandi certis legibus circumscriptum fuisse, loca a singulis artificum gregibus et ipsis artificibus mutata esse, id quod etiam antiquioribus temporibus factum esse vidimus, in propatulo est[151]). Tantummodo Romae, quippe quae urbs non solum caput esset cuiusdam gregis sed totius synodi, constanter artifices versabantur.

Quae vero auctoritas illius consilii[152]) fuerit, quod omnibus artificibus imperii Romani consuleret, cum non satis perspici potest, tum alio loco tractandum erit, ubi de singulis institutis artificum Dionysiacorum disseremus. Hic pauca monere liceat, quae ex decretis nonnullis Antonini aetate compositis (69) cognoscimus.

Artificum templum Romanum cum ab exteris quoque ornaretur[153]), omnibus totius imperii artificibus venerationi fuisse videmus. Deinde a communi consilio artificum Romano summos diversarum societatum sacerdotes (*ἀρχιερεῖς*) imperatore consentiente appellatos eorumque nomina in synodi tabulario perscriptos esse conicere possumus[154]). Denique, id quod gravissimum est, singuli greges, cum uni ex suis certos quosdam honores decrevissent, legationem Romam miserunt, quae et ab imperatore et a synodo Romana peteret, ut illos honores confirmarent[155]).

---

142) Typothetae errore factum esse videtur, ut verba apud Clercium (BCH) perverse interpungantur.

143) Interest videre, qua ratione etiam vocabulum *κοινόν* duobus locis ita reperiatur, ut technitae totius collegii opponantur propriis sodalibus eiusdem oppidi: v. 11 *καὶ ε[κ] δώδεκα ἐτῶν καὶ [πρώ]τ[ην πάντας εὖ ποιῶν το[ὺς] μουσικοὺς καὶ πρὸς ἀξίωμα καὶ μεγαλοπρ[έπ]ειαν τῇ συνόδῳ ἐπιλαμβάνων καὶ περ[ὶ π]ολλῶν αὐτοφιλοτειμημένος εἰς ἡμᾶ[ς καὶ τὸ κοινόν* (in eis autem quae sequuntur referuntur quae optime meritus sit et de templo Romani totius collegii et de sodalibus Ephesiis, cui rei honores utrimque concessi respondent); 71 v. 9: *ὡς καὶ τοῖς καθ' ἕνα τῶν ἡ[μ]ετέρ[ων συνοδειτῶ[ν] εὐεργετεῖν καὶ ἐν τοῖς τῷ κοινῷ ἀνήκουσι προθύμως ἅπαντα πράττειν.*

144) Aliter enim vix potest explicari quae legimus 71: *Ψήφισμα τῶν ἀπὸ τῆς οἰκ. π. τ. Δ. κ. Αὐτ. . . . συναγωνιστῶν καὶ τῶν νεμόντων τὴν ἱερὰν θυμελικὴν σύνοδον*; v. p. 17.

145) 57—63; cf. CJAIII 21; 28. Num t. 58 Athenis ortus sit, etiam nunc incertum est. Etiam ea, quae in titulo Lycio (18; v. s. p. 19 adn. 117) leguntur, ad synodum Atticam referenda sint.

146) 52—56; JGSJ 2500—2503. V. quae exposuimus de tit. 53 p. 22. At synodus, quae Nemausi sedem habuisse videtur, Neapoli certaminibus interfuit (52). De Nemausi condicione v. Mommsenum, *Röm. Gesch.* V. p. 100.

147) 64; verba v. 9 scripta *ὡς πληθύειν ἡμῶν τὴν σύνοδον* melius referuntur ad partem quandam quam ad totum collegium.

148) 46. Clercius (De rebus Thyatirenorum, 1893, p. 82) sine certa causa de Teiorum synodo cogitat.

149) De propria dicendi ratione, quae inveniatur in titulo Neapolitano (50) atque Pessinuntio (17), supra diximus. Cf. inscriptiones p. 19 adn. 117, et p. 24 adn. 161 allatas.

150) Cf. e. gr. ea quae de artificibus Atticis statuuntur (59): *τ[ο]ῖς δὲ μὴ νεν[ι]κηκόσιν* (scil. in agone quodam oecumenico; cf. Dittenbergerum ad l. l.), *μὴ ἐξεῖναι αὐτ]ῶν μηδένα τῶν παρ' ἡμεῖν ἀγών[ων μετέχει]ν.*

151) Cf. qua ratione sodalis collegii Nemausensis, qui Neapoli in scenam prodiit, laudetur (52 fr. ab v. 7 Kaib.): *οὐ μόνον ἐν τῇ λαμπρο[τάτῃ Ῥώμῃ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇδε τῇ πόλει ἐπίσημος ἐγένετο*; v. 9: *ὅτι διὰ τοῦ τοιούτου πάσῃ γν[ωστὸς τῇ οἰκουμένῃ, οὐκ ἤκιστ[α δὲ αὐτῷ ἔσται τῷ βασιλεῖ.* In plerisque igitur recte Friedlaenderus (*Sittengesch. Roms* II[6] p. 88) disseruit: „*Sic* (*die Synodos*) *mag zahlreiche Abtheilungen gehabt haben, die vielleicht auch für kürzere oder längere Zeit an denselben Orten* (*namentlich in Rom*) *ihren ständigen Aufenthalt hatten*".

152) Delibero an *τὸ ἱερὸν ἡμῶν συνέδριον* (71 v. 5s.) illud consilium fuerit.

153) 69 v. 16: *ἔτι καὶ βιβλίοις θαυμαστο[ῖς ἐπεκ]ό[σ]μησεν τὸ ἱερὸν ἐπὶ Ῥώμης τέμενος [τῶν] ἀπὸ τῆς οἰκουμένης τεχνειτῶν.*

154) 69 v. 21: *οἱ ἐπὶ Ῥώμης τεχνεῖται καὶ ἄλλας μὲν [αὐ]τῷ τειμὰς προσηκούσας ἐψηφίσαντο [καὶ ἀρχιερέα τε αὐτὸν διὰ παντὸς τοῦ αἰῶνος ἀ[πέδειξα]ν προτετειμῆσθαί τε ἠξίωσαν τῇ τά[ξει] τῶν ἄλλων ἀρχιερέων πρῶτον ταῖς διπ[τύχοις ἐ]γγραφόμεν[ον].* — Cf. etiam (70) *τὸν προαναγ[ρα]φέντα τῆς σ[υνόδου] ἀρχιερέα*, nisi forte *προαναγγελέντα*, quod viri docti nonnulli proposuerunt, melius lapidis vestigiis confirmatur. De archisacerdote v. Muellerum, p. 412 adn. 1.

155) 69 v. 66: *σ[τεῖ]λαι τε πρεσβείαν καὶ παρὰ τὸν μέγιστον Α[ὐτο]κράτορα καὶ πρὸς τὴν ἐν Ῥώμῃ σύνοδον σ[υν]ομολογοῦσαν ὑπὲρ τῶν πεπραγμένων [εὐ]εργέτῃ Ἀλκιβιάδῃ.*

Post Antoninum technitarum res magnopere mutatas auctoritatemque minutam esse cum iam ex ipsorum nomine sollemni collegimus tum causas huius rei ex mutatis temporibus et moribus facile repetere possumus. Quo magis enim artes musicae peribant, eo magis gymnicae efflorescebant. Itaque athletarum synodos hoc loco obiter tangere liceat, quatenus in re nostra diiudicanda alicuius sunt momenti. Quodsi quis etiamnunc dubitet, magnumne illud collegium musicum exstiterit, quod priore potissimum parte saeculi p. Chr. secundi floruisse contendimus, comparanti inscriptiones athleticas ei persuasum iri confido nos recte sensisse. Neque enim ulla re magna et singularis artificum auctoritas melius demonstratur quam incerta condicione athletarum, qui usum illorum imitati *περὶ τὸν Ἡρακλέα* se appellabant. Quamquam enim athletica (*ξυστική*) synodus nonnunquam et audit *ἱερά* (JGSJ 1105; 1107; 1109; CJG 8561) et dici potest *περιπολιστική*[156]), attamen ne Romani quidem athletae, qui Sardibus, ut Wilamowitzius sagacissime coniecit (Ind. Schol. Gotting. 1884 p. 8), expulsi Romae consederant et quorum magistratus a Caesaribus curam acceperant balneorum (v. Kaibelium, JGSJ p. 299), ex imperatoribus Traiano, Hadriano, Antonino nominabantur aut epitheton *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* in decretis sibi sumebant[157]). Hoc non ex quadam modestia, quae in dicendo cognosceretur, esse factum cum per se minime est verisimile, tum refutatur titulo synodi Alexandrinae (JGSJ 747), quippe quae sui iactandi causa nova epitheta *εὐσεβής* et *φιλοσέβαστος καὶ φιλορώμαιος* sibi asserat. Quod vero in uno decreto ab athletarum Romana ut videtur synodo ad Aphrodisienses misso (Lueders 96) imperatoris nomen invenitur[158]), huic rei nimiam auctoritatem ne attribuamus ipsius urbis Romae titulis satis multis impedimur, quibus hunc honorem athletis non concessum fuisse demonstretur. Si vero illius decreti formulam incertiorem respicio, vix dubito, quin in epistula ad urbem Asiaticam missa athletae hunc titulum sibi ipsi adsciverint. Id quidem certum est cum *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* in athletarum decretis primi p. Chr. saeculi non legatur, xysticas synodos non eodem modo atque musicas in unum corpus coniunctas fuisse. In quarti demum saeculi decreto *ἡ ἱερὰ ξυστικὴ περιπολιστικὴ οἰκουμενικὴ σύνοδος* commemoratur[159]). His vero temporibus unam synodum magnam athletarum exstitisse pro certo non affirmaverim. Fieri enim potuit, ut tota illa dicendi ratio ex iactatione quadam oreretur, quod eo probabilius videtur, quandoquidem etiam dona a sodalibus nonnullis synodo data dicuntur (B v. 9) *τὰ δωρεῖδια τὰ οἰκουμενικὰ τὰ τῆς ἱ. ξ. συνόδου.*

Has synodos xysticas post Antonini tempora, cum auctoritas earum magis magisque crevisset cum thymelicis, quarum auctoritas esset minuta, coaluisse per se satis verisimile est neque tamen iis locis, quibus una cum altera ita affertur, ut distinguantur, demonstrari potest[160]). Quoniam autem observavimus posterioribus illis temporibus nomen technitarum evanuisse[161]) et loco eius formulam *οἱ ἀπὸ τῆς συνόδου* nonnunquam substitutam esse, concludere licet res quoque ita mutatas esse, ut et artifices et athletae communi hoc nomine significari possent[162]). Haec verba primum, quantum video, in titulo Aphrodisiensi Commodi temporibus composito inveniuntur, in quo scriptum videmus (CJG 2741 v. 7) *ἤδη καὶ τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου πολλάκις ἐντυχόντων μοι.* Quo loco quamquam artifices Dionysiaci intellegi possunt, tamen *τοὺς ἀπὸ τῆς συνόδου* partim musicos partim athletas fuisse ex eiusdem oppidi titulis apparet[163]). Quapropter non accidit praeter exspectationem, ut cum non distinguendi essent musici et athletae, vocabulum *σύνοδος* quoque nude positum sufficeret, quod hoc modo antiquioribus temporibus de athletarum imprimis collegiis dictum esse videtur[164]).

---

156) Cf. decretum synodi cuiusdam Alexandrinae Neapoli inventum (JGSJ 747), titulum Aphrodisiade repertum (v. adn. 158), decretum Romanum saeculi p. Chr. quarti (v. adn. 159).

157) Quomodo athletae Romae minore gloria floruerint, docte Friedlaenderus (*Sittengesch. Roms* II[6] p. 492 ss.) tractavit. — *ἱερονεῖκαι στεφανεῖται* et in epistula Hadriani (JGSJ 1054 b v. 6) et Antonini Pii (JGSJ 1055 b v. 7) appellantur.

158) *Ἔδοξεν τῇ ἱερᾷ [περι]πολιστικῇ, εὐσεβεῖ, σεβαστῇ [συνόδῳ καὶ] τῷ σύμπαντι ξυστῷ τῶν περὶ Τραϊανὸν Ἁδρι]ανὸν Σεβαστόν.* — Cf. inscriptionem sigilli (CJG 8561) *ἱ. ξ. Ἀντων(ιανὴ) Γορδιανὴ εὐσ(εβὴς) Σεβ(αστὴ) σύνοδος.*

159) JGSJ 956 B v. 19. Cf. Muellerum, p. 411 adn. 6.

160) Hoc Muellerus (p. 411 adn. 7) facere studuit revocans ad inscriptionem Galatiae (78 v. 26): *[τῆς ξ]υστικῆς καὶ τῆς θυμελ[ικῆς συνόδου]*. Cf. etiam titulum Lyciae (79 v. 8) in quo de duabus synodis dicatur: *τειμηθέντα καὶ ὑπὸ τῶν ἱερῶν ξυστικῆς καὶ θυμελικῆς συνόδων.*

161) Itaque titulum Trallensem (70), quo *οἱ περὶ Διόνυσον τεχνεῖται* synodi archierea honorent, antiquiorem esse opinor. Utrum vero ante Traianum an post Antoninum compositus sit, in medio relinquendum est.

162) Neque igitur plane ad sententiam accedere possum Liermannii (Analecta epigr. et agonist., Dissert. Halens. X p. 121), qui cum rei summam recte cognovisset non satis apte de artificibus tantum cogitavit.

163) CJG 2758 s. Cf. Muellerum, p. 411 adn. 7. V. adn. s.

164) De athletis agitur in titulis duobus Ephesiacis Traiani et Hadriani temporibus compositis, ubi haec leguntur: *γραμματεύοντος τῆς συνόδου* (77) et *τῆς συνόδου Ἁδριανὰ Ὀλύμπια ἀνδρῶν πεντάθλ* (AGJIII 615 v. 16 s.);

Restat ut de certis quibusdam artificum sodaliciis dicam, quae imperatorum aetate praeter magnam synodum exstiterunt.

Ac primum tenendum est ea non inveniri nisi in inscriptionibus inde a secundo p. Chr. saeculo compositis.

Iam in lapide Trallensi Aureliano ut videtur non antiquiore (CJG 2931) *ἡ Ὀλυμπικὴ σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονικῶν καὶ στεφανιτῶν* invenitur. Hoc quoque loco ex technitarum nomine omisso effici existimo intellegendam esse synodum mixtam ex utroque hominum genere. Neque huic sententiae epitheton *Ὀλυμπική* obstat, quoniam imperatorum temporibus Olympiae scenicos quoque agonas fuisse scimus (AZXXXVII, 1879, p. 133). Itaque sodales *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονῖκαι καὶ στεφανῖται* praedicantur, quas laudes initio athletis raro (v. p. 24 adn. 157) tributas esse vidimus. Num hoc quidem loco eadem vi dictae sint, atque priore parte saeculi secundi, dubito.

Quid? quod veterem societatem Ioniae et Hellesponti etiam imperatorum aetate exstitisse viri docti censuerunt? Hoc ne ego quidem negem, omnes vero res tum mutatas esse contendam. Quod enim Boeckhius, quem omnes secuti sunt, in lapide Trallibus reperto (20) inter verba *ἡ σύνοδος* et *τῶν ἀπὸ Ἰωνίας κα[ὶ] Ἑλλησπόντου* putat intercidisse versum (*[τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν]*), id falso eum statuisse nunc docemur duabus inscriptionibus Ephesiis (19 a v. 2 s. et b v. 13 [cf. p. 10 adn. 55]), in quibus *ἀρχιερατεύσας τῶν ἐπ' Ἰωνίας κ. Ἑλλησπόντου* commemoratur. Cum igitur hoc quoque collegium, quod fuit Philipporum temporibus (v. Boeckhium ad l. l.) non iam proprium sit artificum, id quod non solum ex nomine technitarum omisso concludamus necesse est sed etiam inde quod uterque archiereus, qui commemoratur, et rebus musicis et gymnicis consulebat[165]), rebus ita mutatis[166]) neque de vetere collegio Ioniae cogitem et eam ob rem cum Muellero (p. 411 adn. 5) aliquando unam fuisse synodum negem, sed rem hunc fere in modum explicem: cum paullo post Antonini tempora magna illa synodus dilabi coepisset et, ita ut artifices et athletae inter se coniungerent, nova quaedam collegia conderentur, varia nomina in usum venerunt. Quid autem probabilius quam inter alia vetus quoque nomen etsi mutatum denuo adhibitum esse?

Tertiam *ἱερὰν σύνοδον εἰς Νέμεα καὶ Πύθια* affert Muellerus (p 411) ex titulo Rhodio (CJG 2529) alios secutus. Iam viri illi docti Boeckhium mihi non satis intellexisse videntur, qui verba *[τ]ετιμαμένον κ[αὶ ὑ]πὸ τ[οῦ] μεγίστου Αὐτοκράτορος καθέδρᾳ καὶ [λ]ογιστείᾳ τᾶς ἱερᾶς συνόδου [ἐς Νέ]με[α] καὶ Πύθια* aliter coniungat et dicat dedi logistae munus in sacro collegio, ut eo fungeretur in sollemnibus Pythiis et Nemeis. Cum igitur titulus sub Antoninis videatur exaratus esse, *ἱερὰν σύνοδον* aliam fuisse atque illam magnam Caesarianam, quam supra tractavimus equidem nego. Logistam vero, qui magistratus ab imperatore appellatus pecuniis technitarum illis temporibus prospicere debebat, ad certos quosdam ludos constitutum fuisse nil habet in quo offendamus[167]).

Denique illam Smyrnaeam societatem, quae dicitur *ἡ ἱερὰ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Βρεισέα Διόνυσον τεχνιτῶν καὶ μυστῶν* (44) et quae iam Antoninorum temporibus breviore modo appellatur *σύνοδος τῶν περὶ τὸν Βρεισέα Διόνυσον* (43 v. 5; [CJG 3177]), cum alio quodam loco (43 v. 25) audiat *σύ[νοδος τῶν ἐν Σμύρνῃ μυστῶν*, hoc loco seiungere licet, si quidem in illa res mystarum et technitarum certa quadam ratione permisceantur[168]).

---

item in Smyrnaea inscriptione Olympiae reperta, in qua habemus: *ἱερονείκην ἀπὸ συνόδου* (AZ 1878 p. 94 no. 148). Nil certi de hominibus, qui synodo addicti sint, cognosci potest ex duabus inscriptionibus Aphrodisiadis, ubi habemus *ὑπὲρ τούτου τῇ συνόδῳ ἐπιστέλλειν* (65 v. 9) et *πέμπτον ἱερονείκην ἀπὸ συνόδου* BCH IX p. 74 no.: 1). Uno loco de arte musica sermo est; cf. in tit. Thyatirensi (72 v. 17 s.): *ἐπὶ γραμματέως τῆς συνόδου*, quo quidem loco Clercius (De rebus Thystirenorum p. 57) etsi non satis probabiliter, de senatu cogitet.

[165]) a v. 4 *[καὶ κατασ]κευάσας ἐν τῷ στ]αδίῳ [βάθρα λευκά?]ὡς τὰ τῶ[ν θεατρω]ν*; b v. 6 *καὶ τὰ ἔπαθλα δόν[τα] τοῖς μουσικοῖς καὶ το[ῖς] ἀθληταῖς ἐκ τῶν ἰδίω[ν]*.

[166]) Etiam sedes synodi, quantum ex titulis 19 a et b colligendum, tum alia erat: videntur enim technitae tum Ephesi potissimum versati esse. — Titulum 21 fuisse magnae illius Romanae synodi p. 22 adn. 138 demonstravimus. Etiam tit. 19 huic esse attribuendum p. 21 adn. 132 vidimus, quamvis negari non possit ob *Διονύσου καθηγεμόνος* commemorationem hanc inscriptionem Teiae synodi titulis simillimam esse videri.

[167]) Cf. quae de logista exposuit Liermannus, l. l. p. 128.

[168]) Addi licet imperatorem sodalibus illis nomen technitarum non concedere (43 v. 5, 25), quamquam benigne eis respondit, ipsos vero illud nomen tum magnopere exoptatum sibi adsciscere (44; 45; 75). Valde dolendum est, quod decreta (CJG 3173) annorum p. Chr. 80 et 83 nomen societatis non exhibent. Inde enim cognoscimus, id quod Boeckhius demonstravit, iam Flaviorum temporibus in synodo illa mystas et technitas et athletas fuisse. — De Bresaeo illo Baccho docte egit Wilamowitzius (*Philol. Unters.* VII p. 100).

Quodsi quaerimus, quando synodi illae artificum perierint, verisimillimum videtur eas quodam modo in medium aevum permansisse. Auctoritatem vero earum post Antonini aetatem magis magisque ita minutam esse intelleximus, ut nisi cum athleticis coniunctas se permansuras non esse cognoscerent. Neque igitur mirandum Constantini temporibus *ξυστικήν* quidem *σύνοδον* inveniri, non *θυμελικήν*, quoniam deesse coepit, quo auctae sunt, principum favor.

Quibus rebus expositis satis docuisse mihi videor inter omnia Graecorum sodalicia synodos illas fuisse potentissima, si quidem quibusdam temporibus ita eadem fere auctoritate uterentur atque civitates, ut et liberae paene essent ab harum legibus et harum quaedam privilegia eis solis essent concessa [169]). Ac quamvis ab illis artes varias cultas esse appareat, tamen concedendum est, quod finibus civitatum non coercerentur, eas non flagrasse patriae caritate illa, qua Graecos usque ad labentem Graeciae libertatem arsisse constat, ita ut ipsorum culpa mores Graecorum in dies magis magisque perirent. Quod vero hi viri ex omnibus imperii regionibus conveniebant ad certum quendam deum venerandum, hoc quodammodo convenire cum moribus Christianorum quis est qui neget?

[169]) Et legatos et proxenos constituebant (Mueller, p. 101).



Index titulorum maxime adhibitorum.

1 = CJAII 551; Luedeers 71.
2 = CJAII 552; Luedeers 76—78.
3 = CJAII 625.
4 = CJAII 626.
5 = CJAII 628; Luedeers 75.
6 = CJAII 629 (frg. b = Luedeers 79).
7 = CJAII 1338.
8 = CJAII 1351; BCHIII p. 352; Dittenberger, Sylloge inscr. gr. 424

9 = CJGII 3046; Lebas III 85.
10 = Lebas III 81.
11 = CJGII 3067; Froehner, Inscript. du Louvre 67; Luedeers 83.
12 = CJGII 3068A; Luedeers 84.
13 = CJGII 3068B; Luedeers 85.
14 = CJGII 3068C; Luedeers 86.
15 = CJGII 3070; Luedeers 90.
16 = CJGII 3072; Luedeers 87.
17 = Lebas III 281; Luedeers 91.
18 = Conze, Reise auf den Inseln des thrak. Meeres, 1860 p. 65 (cf. p. 72); Conze-Hauser-Benndorf, Samothrake II p. 97 IV.
19 = AGJIII 618 a, b.
20 = CJGII 2933; Lebas III 605; Luedeers 92.
21 = CJGII 3082; Luedeers 89.

22 = CJGII 1689; Lebas II 812; Fleckeis. Jahrb. 1894 p. 557 (Pomtow).
23 = CJGS 1760; Luedeers 110.
24 = CJGS 2113/4; MDAJIII p. 140 no. 2.
25 = CJGS 2184; CJGI 1600; MDAJIII p. 139; Luedeers 100.
26 = CJGS 2185; BCHIV p. 335.
27 = CJGS 2186; Luedeers 99.
28 = 'Αρχ. ἐφημ. 1874 p. 490.
29 = 'Εφ. ἀρχ. 1883 p. 161; 1884 p. 218.
30 = Rev. arch. Nouv. Ser. 1870/1 p. 107s. (cf. Luedeers 90)
31 = BCHXVI p. 91.
32 = BCHXVI p. 107 no. 9.

33 = BCHIX p. 132s.
34 = BCHIX p. 140.
35 = CJGII 2619; Lebas, Explications III p. 611; Sitzungsber. d. bayr. Ak. d. W., philos.-philol.-hist. Cl. 1888, I. p. 328.
36 = CJGII 2620; AGJII 385.
37 = Lebas III 2793.
38 = Lebas III 2794; Cesnola, Cyprus no. 2; Sitzungsber. d. bayer. Ak., l. l. p. 334.
39 = JHStIX p. 250 no. 105.
40 = JGSJ 12; Luedeers 101a.
41 = JGSJ 13; Luedeers 101b.
42 = JGSJ 615; CJGIII 5762.

43 = CJGII 3176.
44 = CJGII 3190.
45 = CJGII 3210.
46 = CJGII 3476b; Luedeers 93.
47 = CJGIII 4081; Luedeers 98.
48 = CJGIII 4315a; Lebas III 1336.
49 = CJGIV 6829; Luedeers 103.
50 = JGSJ 737; Luedeers 102.
51 = JGSJ 978a.
52 = JGSJ 2495 (frg. a b c = CJGII 6786) (cf. Luedeers 105).
53 = JGSJ 2496; CJG 6785; Luedeers 104.
54 = JGSJ 2497 (fr. a = CJG 6788; fr. b = CJG 6787) (cf. Luedeers 105, 106).
55 = JGSJ 2498; CJG 6788b (cf. Luedeers 106).
56 = JGSJ 2499; CJG 6788c (cf. Luedeers 106).
57 = CJAIII 20; Luedeers 81.
58 = CJAIII 22; CJGI 319; AGJI 49; Luedeers 82.
59 = CJAIII 32.
60 = CJAIII 34. 34 a, b.
61 = CJAIII 35/6.
62 = CJAIII 278; PASch. I p. 168.
63 = CJAIII 280; PASch. I p. 168.
64 = Lebas III 1619; Luedeers 95.
65 = Lebas III 1620c.
66 = Annali d. Instit. di corr. arch. 1861 p. 183 no. 18; Luedeers 94; Mordtmann, Marmora Ancyrana p. 8.
67 = Annali d. Instit. di corr. arch. 1861 p. 183 no. 19; Luedeers 94b; Mordtmann, Marmora Ancyrana p. 9.
68 = BCHIX p. 71.
69 = BCHIX p. 124ss. A.
70 = BCHX p. 455; PASch. II p. 333; Rev. des études Grecques II p. 28.
71 = Sitzungsber. d. kgl. preuss. Ak. d. W. 1888 p. 882; MDAJXIV p. 316 no. 44 (Mordtmann).
72 = Rev. des études grecques IV p. 174s. no. 2.
73 = AEMIX p. 124 no. 85; BCHVII p. 17 no. 4.
74 = AEMIX p. 130 no. 98.
75 = AEMIX p. 133.
76 = AEMXI p. 43 no. 56.
77 = Wood, Discoveries at Ephesus, Great Theatre, no. 12.
78 = Perrot, Exploration de la Galatie I p. 31 no. 21.
79 = Benndorf-Niemann, Reisen in Lykien und Karien, I. 1884, p. 123 no. 96.
80 = *Μουσ. κ. βιβλιοθ. τῆς εὐαγγελ. σχολῆς ἐν Σμύρνῃ* IV (1880) p. 70s. no. 21, 22.

CJG = Corpus inscriptionum Graecarum. CJA = Corpus inscr. Att. CJGS = Corpus inscr. Graec. Graeciae septentr. JGSJ = Inscr. Gr. Sicil. et Ital. — AEM = Archaeol.-epigraph. Mitth. aus Oesterr. AGJ = Ancient Greek Inscript. in the British Mus. AZ = Archäolog. Zeitung. BdJ = Bulletino d. Inst. di corr. archeol. MDAJ = Mitth. d. deutsch. arch. Inst. i. Athen. BCH = Bulletin de corresp. hellénique. JHSt = Journol of Hellenic Studies. PASch = Papers of Americ. School. — Lebas = Lebas-Waddington-Foucart, Voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure. Uncis quadratis inclusimus ([]), qui loci coniectura suppleti plane certi haberi non possunt.